



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

Index Concionatorius In Festa Totius Anni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)



INDEX
 CONCIONATORIUS
 IN FESTA
 TOTIUS ANNI.
 IN FESTO S. ANDREÆ
 APOSTOLI.

I.

*Venite post me, & faciam vos fieri pisca-
 res hominum. Matth. 4.*

Jubet Christus Petrum & Andream venire post se, ad sui imitationem invitatur, primùm ut sibi operam jungerent in prædicando, & deinde in morte quoque crucis ipsum imitarentur. Et profecto felix uterque fuit, dum tam Petrus quàm Andreas crucifigi meruit. Quàm alieni nos sumus ab exemplo & promptitudine Andree! ille continuo relictis retibus secutus est Dominum: nos crucem & tribulationem totâ contentione fugimus, cum tamen ille simplex & rectus fuerit, nos verò simus peccatores. Nobis DEUS calamitates immittit in pœnam peccatorum: cum ergo rei simus, ex justitia nos subicere debemus cruci & flagellis Dei. *Mense LV. Disc. 121. pag. 556. usque ad num. 8.*

2.

2.

Faciam vos fieri pisces hominum.
Matth. 4.

Vocavit Christus Andream ad imitationem sui in prædicando & patiando ; nam sicut ille de seipso dixit: *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum* ; sic Andreas in cruce jam pendens prædicavit, multosque ad Christi fidem pertraxit. Hæc fuit causa, cur tam ardentè festinaret ad crucem, quam veluti singulare Dei beneficium amplectebatur. Imitemur eum, libenter ferendo crucem ; nam calamitates sæpe sunt beneficium à Deo nobis concessum : ergo etiam ex gratitudine nos divinæ voluntati subicere debemus. *Mense IV. Disc. 121. pag. 565. à num. 8. ad num. 15.*

3.

Continuò relictis rebus secuti sunt eum.
Matth. 4.

Secutus est Andreas Christum, homo Deum, discipulus magistrum, servus Dominum, paratus omnia facere & pati, quæ ille iussisset. Agnovit, non meliùs se suam Domino probare fidelitatem posse, quàm si probationes licet acerrimas ab illo impositas fideliter sustineret. Volumus & nos fidelitatem nostram Domino probare? Sustineamus patienter calamitates ; hæ enim sæpe ad probationem & meritum nobis immittuntur. *Mense IV. Disc. 121. pag. 579. à num. 15. ad finem.*

4.
Faciam vos fieri piscatores hominum.
Matth. 4.

Egregius profectò hominum piscator fuit S. Andreas, qui tot peragratus provincias innumera animarum lucra fecit, & institutis in Achaia Ecclesiis, cùm propter fidem captus & cruci affixus est, in ipsa cruce per triduum pendens non cessavit prædicare Christum & homines ad fidem adducere. Possumus & nos fieri piscatores hominum, si omne bonum, quo ad salutem indigent, non solùm illis optare, sed etiam precibus nostris à Deo obtinere fatagamus. *Mense VIII. Disc. 224. pag. 171.*

IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI CONFESSORIS.

1.
Euge serve bone & fidelis. Matth. 25.

Hunc boni & fidelis servi titulum eminenter meritus est S. Nicolaus, qui talentum sibi creditum ad miserorum subsidia impendit, atque ita Christi voluntatem perfectè implevit, qui, quæ pauperibus dantur, sibi dari sæpe asseruit. Planè nobis amplectenda misericordia est, cùm ipsam à Deo nobis mandari, & illi gratissimam esse noverimus. *Mense VIII. Disc. 228. pag. 240. usque ad num. 14.*

2.
Intra in gaudium Domini tui. Matth. 25.
 Hæc est merces misericordiæ, ut eam Deus
 mul-

multis beneficiis in vita, & post mortem æterna gloriâ remuneretur. Liberalitatem Nicolai Deus in vita illi rependit per miraculorum gloriam, in cælo per æternam felicitatem. Certi igitur de præmio studeamus misericordiæ operibus, ne contrarium agentes aliquando severè puniamur. *Mense VIII. Disc. 228. pag. 254. à num. 14. ad finem.*

3.

Euge serve bone, & fidelis. Matth. 25.

Ille servus est bonus & fidelis, qui talenta à Domino sibi commissa bene impendit juxta voluntatem & ad commodum Domini sui. S. Nicolaus opes à Deo sibi concessas impendit misericorditer pauperibus, & per istos Deo, à quo accepit: *Quod un ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Ut & nos fiamus fideles servi, discamus, quid sit vera misericordia, & quibus sit exhibenda. *Mense VIII. Disc. 226. pag. 208.*

5.

Intra in gaudium Domini tui. Matth. 25.

Quisnam vero maximis apud Dominum gaudiis perfruetur, nisi qui Domino simillimus evasit? Deus est, *cui proprium est misereri semper & parcere*: is ergo maximè in cælo gloriosus, qui misericordissimus. Non gratis hanc virtutem elegit sibi tanquam propriam S. Nicolaus; nam hæc inter cæteras ipsius Dei excellentias eminet, & præ cæteris hominem Deo similiorem facit. *Mense VIII. Disc. 227. pag. 222.*

I N D E X
IN FESTO IMMACULATÆ
CONCEPTIONIS DEIPARÆ.

I.

De qua natus est JESUS, Matth. 1.

Sicut summa Mariæ dignitas est, quòd in ea conceptus, & ex ea natus sit æternus Dei Filius, ita jucundissimum illi est, si veneremur devotè Immaculatam illius conceptionem, utpote quæ fuit primordium & fundamentum omnium ipsius excellentiarum, quibus supra omnes cæteras creaturas eminuit. Optimè verò colemus illam, si cor à peccato mundum servemus. *Mense XII. Disc. 361. pag. 456.*

2.

De qua natus est JESUS, Matth. 1.

Quantæ oportuit puritatis esse illam Virginem, ex qua nasciturus erat Sanctus Sanctorum, Filius Dei, Redemptor omnium, omnium debita soluturus? sine omni non actualis solùm; sed originalis etiam peccati macula fuit, & puritate tanta, cujus illustre meritum nobis quoque purificandis abunde sufficiat. Sufficiet abundantius, si ad impuritatis nostræ maculas extinguendas non tantùm necessa-

cessarium Orationis ac invocationis ejus medium applicuerimus, sed etiam fugerimus occasiones, ac sensus nostros custodierimus. *Mense V. Disc. 137. pag. 318. ad num. 5.*

3.

De qua natus est JEsus. Matth. 1.

Equidem Immaculatæ Virginis cultus perquam efficax est contra omnes libidinis insultus remedium; verum id fiet multo efficacius, si eum, qui ex ea natus est, JEsum frequentius consideravimus, tanquam Dominum nostrum, semper nobis præsentem; tanquam Judicem nostrorum operum; tanquam Redemptorem pro nobis crucifixum. *Mense V. Disc. 137. pag. 331. à num. 5. ad finem.*

4.

De qua natus est JEsus. Matth. 1.

Nemo est, qui non tenerrimè diligat Mariam, dum eam omnis maculæ expertem considerat: Multi sunt, qui cupiunt partem aliquam illius puritatis obtinere: utinam verò essent plures, qui curam seriam adhiberent ad eam imitandam! Verum, ut arbitror, impedit eos neglecta sensuum custodia. Discamus igitur visum, auditum, odoratum refranare, ne per eos à bono impediamur, aut ad malum impellamur. *Mense VIII. Disc. 237. pag. 388.*

IN FESTO

S. THOMÆ APOSTOLI.

1.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Joan. 20.

Thomas ob incredulitatem suam à Christo reprehensus, eandem insigni confessione emendat, prædicatione & morte compensat. *Mense XII. Disc. 353. pag. 309.*

2.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Joan. 20.

Lapsus Petri in trina negatione, incredulitas Thomæ in Apostolorum asseveratione, reliquorum discipulorum fuga in Christi captione documento esse debet, semper nos in timore propter fragilitatem nostram versari oportere, verumtamen sine amissione spei ac fiducia. Timor Christianus sollicitus est sine mærore, salutaris sine peccato, efficax ac laboriosus sine otio. *Mense VII. Disc. 206. pag. 450.*

3.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Joan. 20.

Licet nos DEUS ab infantia vocaverit ad veram Ecclesiam suam, neque ullis fortasse in hunc usque diem tentationibus contra fidem fuerimus impugnati, non tamen præsumere debe-

debemus, cum videamus, etiam Apostolum vacillasse. Necessè est igitur, ut familiares nobis faciamus actus virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, Charitatis. Ad eos sapius exercendos impellet nos consideratio excellentiæ harum virtutum. *Mense VII. Disc. 191. pag. 159. ad num. 10.*

4.

Noli esse incredulus, & fidelis. Joan. 20.

Exercendi sunt frequenter actus fidei, ut in fide constantes perseveremus: sed & jungendi sunt actus spei, & charitatis; nam arctissimè inter se connexæ sunt hæ virtutes, & propterea sollicitè custodiendæ: quare necessaria est frequens earumdem exercitatio. *Mense VII. Disc. 191. pag. 170. à num. 10. ad finem.*

IN FESTO NATIVITATIS D. N. J. C.

I.

Natus est vobis hodie Salvator. Luc. 2.

De Nativitate Domini. *Mense X. Disc. 277. pag. 43.*

2.

Natus est vobis hodie Salvator. Luc. 2.

Hominibus natus est Salvator non solum ad
 offerendam nobis salutem, sed etiam inculcan-
 dam

dam doctrinam. Et si DEUS ipse humiliavit se propter nos & propter nostram salutem, cur non & ipsi nos humiliemus capita nostra exemplo Divini Magistri nostri Christi? Ipse, sicut in Nativitate sua, ita per omnem vitam suam nobis se humilitatis magistrum præbuit. *Mense IX. Disc. 260. pag. 256.*

3.

Natus est vobis hodie Salvator. Luc. 2.

Propter nos, & propter nostram salutem descendit de cælo in præsepium JESUS DEI filius. Amoris hujus consideratio adegit S. Franciscum Seraphicum, ut sacro hoc tempore obvios quosque hortaretur: *Diligamus Puerum de Bethlehem.* Conemur & nos amorem amori rependere, & discamus, quid sit amare Deum, & amare eum super omnia. *Mense VII. Disc. 210. pag. 518.*

4.

Natus est vobis hodie Salvator. Luc. 2.

Dum Salvatorem nostrum ut tenerum infantem in præsepio jacentem consideramus, sentimus moveri corda nostra & tenero amore compleri; & si ille interrogaret nos: *Amas me?* responderemus omnes: *Tu scis, Domine, quia amo te.* Verum non sufficit; verbis profiteri amorem; debemus ostendere fructus amoris. Divinus amor, si verus est, abstinet à vitiis,
inci-

incitat ad virtutes, firmat ad perseverantiam, spiritum roborat, peccatorem justificat. *Mense VII. Disc. 213. pag. 582.*

IN FESTO
S. STEPHANI MARTYRIS.

I.

Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

Act. 7.

Miramur Stephani charitatem erga inimicos suos, & meritò, cum pro ipsis oraverit ipso momento, quo ad ipsius mortem conspiciabant & collaborabant. Sed cur miramur? quia rara sunt inter Christianos tantæ charitatis exempla. Studendum verò est omnibus, ut imitemur Stephanum, quia præceptum Domini est: *Diligite inimicos vestros.* *Mense VIII. Disc. 220. pag. 112.*

2.

Vidit gloriam DEI, & Jesum stantem à dextris DEI. Actor. 7.

Ut Stephanus tam forti animo ferret inimicorum injurias, ut etiam oraret pro illis, effecit aspectus JESU Christi. Redemptoris nostri exemplum ad diligendos inimicos nos debet excitare. *Mense VIII. Disc. 221. pag. 127.*

3.

3.

*Domine , ne statuas illis hoc peccatum,
Actor. 7.*

Difficile quidem videtur inimicos diligere: verum majus etiam est meritum, quò difficilior hæc dilectio. Imò hæc difficultas major nobis fingitur, quàm revera est. Meriti magnitudinem videmus in Stephano vidente gloriam Dei: facilitatem dilectionis in Stephano pro inimicis orante. *Mense VIII. Disc. 222. pag. 142.*

4.

*Dura cervice , vos semper Spiritui sancto
resistitis. Act. 7. v. 51.*

Quod Christus in hodierno Evangelio objecit & exprobravit Judæis, obstinationem nimirum ac duritiam in recipiendis Prophetarum monitis, idem objecit illis S. Stephanus; & profecto nullo fere peccato gravius Deum offenderunt, peioraque in caput suum supplicia provocaverunt, quàm cordis duritie & obstinatione. Detestemur istud vitium, quod ex superbia nascitur, à diabolo promovetur, à DEO gravissimè punitur. *Mense IX. Disc. 254. pag. 163.*

IN

IN FESTO
S. JOAN. APOST. & EVANG.

I.

*Discipulum, quem diligebat JESUS,
Joan. 21.*

Amor Christi in Joannem exemplo nobis esse debet, quomodo amandus sit proximus, & ii maximè, qui nobis sanguinis propinquitate conjuncti sunt. *Mense VIII. Disc. 218. pag. 71. usque ad num. 8.*

2.

*Qui autem servat verbum ejus, verè in
hoc charitas DEI perfecta est. 1.
Joann. 6. 2.*

Sic diligere proximos & præcipuè propin- quos debemus, ut ipsorum amore non violemus præcepta Domini, & inter amicos prudentem selectum faciamus. *Mense VIII. Disc. 218. pag. 80. à num. 8. ad finem.*

3.

*Qui autem servat verbum ejus, verè in
hoc charitas DEI perfecta est. 1.
Joan. 6. 2.*

Mandatum DEI est, ut diligamus omnes, nullo excepto, Omniumque salutem cupiamus; sicut

sicut & S. Joannes frequentissimè hortabatur :
Filioli, diligite alterutrum. Igitur odio quidem in
 proximo habendum est peccatum, sed pecca-
 tor commiseratione & charitate prosequendus.
Mense VIII. Disc. 219. pag. 92.

4.

Qui & recubuit in cœna super pectus ejus.
Joan. 21.

S. Joannes non solum fluentia Evangelii de
 ipso sacro dominici pectoris fonte potavit, sed
 etiam ardentissimam in omnes homines cha-
 ritatem: quare etiam illud, quod altè bibe-
 rat, semper ructavit, nempe documenta a-
 moris, & postremi ejus sermones nil aliud
 hortabantur, nisi hoc: *Filioli diligite alterutrum.*
 Interrogatus, quare toties hoc unum diceret,
 respondit: *Quia præceptum DOMINI est, & si
 hoc solum fiat, sufficit.* Quàm facili compendio
 satisfacere legi possumus! quàm alieni sunt à
 salute, qui charitatem non alunt, sed de-
 struunt, sive fovendo discordias, sive exci-
 tando! *Mense VI. Disc. 175. pag. 39.*

IN FESTO
 SS. INNOCENTIIUM.

I.

Esto tibi, usque dum dicam tibi, Matth. 2.

Huic

Huic Divino Mandato , licet arduo ,
 promptè obedivit S. Joseph, confidens in pro-
 videntia DEI. De fuga JESU & infantium
 cæde. *Mense X. Disc. 281. pag. 129. usque
 ad num. 5.*

2.

Occidit omnes pueros, Matth. 2.

Et hæc puerorum mors ad majorem ipsis
 felicitatem cessit, quàm si diu vixissent. Pro-
 pterea etiam amanda est Divina Providentia,
 quia ipsas calamitates nostras ordinat ad no-
 stram salutem. *Mense X. Disc. 281. pag. 141.
 ad finem.*

3.

Defuncto Herode. Matth. 2. v. 19.

Post perpetratam infantium cædem paucos
 annos Herodes superfuit, & vita regnóque
 privatus est: *Quid proficit tantum nefas? quid crimen
 Herodem juvat?* ut hodie canit Ecclesia. Om-
 nis peccatorum felicitas misero fine concludi-
 tur. *Mense X. Disc. 282. pag. 148. usque ad
 num. 6.*

4.

*Consurgens accepit puerum & matrem
 ejus,*

*ejus , & venit in terram Israëb.
Matth. 2. v. 21.*

Omnis Herodis & carnificum furor impedire non potuit, quin Christus ab Ægypto saluus reverteretur in Judæam. Æterni Patris providentia eum in exilio cum Matre & Josepho custodivit, & felicem reditum indulfit. Sic omnis calamitas justorum vertitur ipsis in utilitatem & solatium. *Mense X. Disc. 282. pag. 160. à num. 6. ad finem.*

§.

Mittens occidit omnes pueros. Matth. 2.

Licet Herodes manu sua nullum occiderit puerum, plurimorum tamen criminum reus fuit, primum ex singulorum infantium cæde, dein ex singulorum militum scelere, qui impii Regis jussa sunt executi. Gravissimum est scandalum, quòd per jussionem datur. *Mense IV. Disc. 96. pag. 69.*

IN FESTO S. SILVESTRI PAPÆ.

I.
*Beati servi illi, quos cum venerit Dominus,
invenerit vigilantes. Luc. 12.*

Vigi-

Vigilare nos perpetuò oportet, & pro salute nostra esse sollicitos. Væ nobis, si imparatos nos Dominus inveniatur, cujus adventum ignoramus. Si ergo annum præteritum cum probitate transegimus, ineunte novo anno fervorem nostrum augeamus, quia omnis nostra beatitudo pendet à nostra perseverantia.
Mense IX. Disc. 251. pag. 104.

2.

Qua hora non putatis, filius hominis veniet. Luc. 12.

Veniet Dominus, & fortasse hodie veniet exacturus à servis suis rationem. Paratine sunt omnes? beati, qui non magna peccatorum mole onusti facile per pœnitentiam rationes suas componunt: væ verò illis, qui non peccatis solum, sed etiam debitis ac ære alieno graves nondum creditoribus suis ex negligentia satisfecerunt. Difficillimum nobis iudicium reddet male dilata debitorum solutio.
Mense IX. Disc. 269. pag. 405.

3.

Qua hora non putatis, filius hominis veniet. Luc. 12.

Inexcusabiles ergo sunt servi, qui scientes
 R. P. Calini, S. J. Index, n in-

incertum DOMINI sui adventum, non curant esse parati, quando venerit ad recipienda obsequia ac ratiocinia. Excusant se multi à debitorum solutione propter præensam impossibilitatem, statûs sui decentiam, proprii damni evitationem &c. Verùm hæ excusationes facilè & dilucidè refelluntur. *Mense IX. Disc. 270. pag. 420.*

4.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12.

Non alia de causa præcinguntur lumbi, quàm ut homo expeditior sit ad currendum, ad laborandum. Verùm in sensu spirituali, S. Gregorio docente, *lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Quidquid ergo libertatis carni indulgetur, id spiritui impedimento est, ut non possit esse expeditus ad agendum ea, quæ curam salutis spectant. Inter hæc impedimenta est gula, qua tamen annus prior sæpe claudi, novus inchoari solet. Caveamus igitur ab hoc vitio; grava enim animæ damna infert, cum intellectum obscuret, voluntatem perturbet, pravis passionibus alimentum præbeat. *Mense V. Disc. 127. pag. 88.*

IN

IN FESTO
CIRCUMCISIONIS D. N. J. C.

I.

*Vocatum est Nomen ejus J E S U S,
Luc. 2.*

De Circumcisione Domini, & præcipuè
Sanctissimo Nomine J E S U *Mense X. Disc.*
278. pag. 63.

2.

*Consummati sunt dies octo, ut circumci-
deretur puer. Luc. 2.*

Itâne innocentissimus JESUS, natus vix octo dies, plenam dolore circumcisionem patietur? & patietur pro peccatoribus? Pudeat nos JESU pro nobis vulnerato deinceps amplecti voluptates, & deliciosè vivere. Si peccavimus aliquando, si pœnitentiæ agendæ obnoxii sumus, si etiam, nullâ graviore noxâ hucusque contractâ, perseverare deinceps in statu Divinæ gratiæ volumus, vitam delicatam abominari, tanquam Christiano indignam, debemus. *Mense VIII. Disc. 242. pag. 485.*

3.

Consummati sunt dies octo. Luc. 2.

JESUS vix natus jam legi Mosaicæ se subjecit, quæ jubebat octavo die pueros circum-

cidi : & subjecit se dolori acerbissimo, nullam prætendens excusationem. Exemplum nobis dare voluit, ut promptè mitteremus manum ad virtutem, & in eâdem semper progredere-mur. Alacriter igitur cum novo anno pieta-tis exercitium prosequamur ; quidquid enim egerimus, semper supererit, quod agamus : quòd si verò satisfecisse nos arbitrabimur, ipsi nos decipiemus, & magno nos periculo com-mitemus. *Mense VII. Disc. 188. pag. 98.*

4.

Consummati sunt dies octo. Luc. 2.

Hanc primam DEO Patri obedientiam publicè Christus præstitit, dum circumcidi secundum legem voluit : secundum eandem celebravit festa, observavit jejunia, docuit vixitque, factus obediens usque ad mortem, quia hanc obedientiam factus homo debere se DEO tanquam summo DOMINO noverat. Par est igitur, ut & nos per omnia DEO o-bediamus : cum novo igitur anno novum ser-vitutis nostræ homagium præstemus DEO su-premo D O M I N O. *Mense IX. Disc. 264. pag. 324.*

IN FESTO
EPIPHANIÆ.

1.

*Vidimus enim stellam ejus in Oriente, &
venimus adorare eum, Matth. 2.*

Divinis monitis exemplo trium Magorum
obsequendum est. De Apparitione Domini
Mense X. Disc. 279. pag. 86.

2.

*Ubi est, qui natus est Rex Judæorum,
Matth. 2.*

Quæstio hæc ab hospitibus longinquis facta
Jerosolymis turbavit totam civitatem, & Re-
gem Herodem, qui cum audisset, eos adora-
re novum Regem velle, renunciare jussit, u-
bi esset: *Ut & ego veniens adorem eum.* Vide hu-
militatem horum Magorum & Regum, sapi-
entum simul, ac potentium: adorare infan-
tem veniunt, & adorant inventum. Quam
graviter errant homines superbi, habitantes
in mirabilibus super se! Planè & mentiuntur
sibi, & verecundiam abjecere, & omnem sa-
pientiam perdidere, dum humiliato DEO ipsi
exaltari desiderant, quem alienigenæ tam hu-
militer adorant. Mense V. Disc. 149. pag. 563.

3.

Ne redirent ad Herodem. Matth. 2.

Humaniter exceperat Magos Herodes, non ex virtute, sed desiderio noscendi posteaque interficiendi novum Regem Christum. Quis æquo animo ferat, hominem alienigenam, nec jam de stirpe Davidis natum dominari Judæis, & ab his foveri, ita ut non ipse solum adventu Magorum turbaretur, sed omnis etiam Jerosolyma cum illo? Planè dum cælitus moniti sunt Magi, ne redirent ad Herodem, noluit DEUS perfidi Regis impietati velificare, docuitque nos, sine invidiæ peccato tristari quandoque licere de impiorum hominum felicitate ac potentia, quando justus timor impellit. *Mense VI. Disc. 177. pag. 430.*

4.

Per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Matth. 2.

Moniti à DEO declinaverunt Magi Herodis regiam, ne ille jam antea dominandi libidine inflammatus per ipsos magis incenderentur ad abutendum potentiâ suâ, & natum Christum interimendum, priusquam huic fugiendi spatium daretur. Quisque bonus gaudere debet, Herodem fuisse illusum à Magis; tristari verò de exsatiata ab illo crudelitate in infantium reliquorum cæde. Similis indignationis occasio sæpius occurrit nobis; verum bene atten-

attendendum est, quatenus citra peccati periculum tristari nobis de malorum hominum felicitate liceat. *Mense VI. Disc. 179. pag. 471.*

IN FESTO
S. SEBASTIANI.

I.

Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

Luc. 6.

Summa hæc est Martyrum gloria, quod suam illis potestatem communicaverit Christus: *Opera. quæ ego facio, & ipse faciet.* Certè quod hodie de Christo dictum est, idem de S. Sebastiano dici potest: *Virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Propterea merito ab Ecclesia colitur tanquam Patronus sanitatis contra morbos & maximè pestilentiam. Ad DEUM igitur potius & S. Sebastianum, quàm ad humana remedia fugiamus, dum simili malo affligimur. *Mense IV. Disc. 120. pag. 535. usque ad num. 10.*

2.

Gaudete in illa die, & exultate.

Luc. 6.

DEUS, dum alibi locorum grassari morbos permittit, nos monet, ut solliciti ad ipsum

sum confugiamus. Planè nunquam securi sumus: quare improvidè agimus, si immoderata nos lætitiæ tradamus. Tunc verè lætabimur, si DEI cælitumque ope ferventer implorata securitatem nobis à flagellis spondere possimus. *Mense IV. Disc. 120. pag. 549. à num. 10. ad finem.*

3.

*Beati eritis, cum vos oderint homines,
Luc. 6.*

Si odia hominum curasset S. Sebastianus, non esset ausus captivos Christianos invisere, sublevare eorum inopiam, confirmare fidem, semetipsum in captivitatis ac mortis periculum conjicere: verum ille, quò atrocior sciebat Imperatoris sævitiem, tam magno animo contra audentior ibat, ausus etiam in faciem Diocletiano crudelitatem exprobrare. Discamus, quantum pro ratione statûs nostri possumus, hanc imitari magnanimitatem, quæ fertur in res arduas honore dignas, sic tamen, ut honoris desiderium Christiana modestia moderetur. *Mense IX. Disc. 255. pag. 181.*

4.

*Beati eritis, cum vos oderint homines,
Luc. 6.*

Non fatis est mirari ac venerari fortitudinem Sanctorum Martyrum, qua sævissimis tormentis ac gravissimis periculis obvii processerunt,

runt. Est hæc fortitudinis virtus non solum propter excellentiam suam admirabilis, verum etiam cuius Christiano necessaria. *Mense IX. Disc. 249. pag. 68.*

IN FESTO
PURIFICATIONIS DEIPARÆ.

I.

Quod parâsti ante faciem omnium populorum. Luc. 2. v. 31.

Christus ad omnium hominum redemptionem venit, ut, quisquis vult, salvus fiat. Pereunt tamen plurimi suâ culpâ, sicut Simeon prædixit: *Positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum.* Nostrum est, curare, ut JESUS sit nobis in salutem. *Mense X. Disc. 280. pag.*

III.

2.

Perfecerunt omnia secundum legem Domini. Luc. 2.

Nihil omnino Maria & Joseph omiserunt, quod lex Domini requireret à quacunque femina, licet Maria, quæ manserat sine macula, purificationis lege prorsus exempta fuerit: tam aliena tamen erat ab omni culpa, ut etiam umbram culpæ timeret. Quo exemplo docemur etiam venialia vitare peccata, quia lege Domini prohibentur, qui tamen per eorum

n s

rum

rum commissionem offenditur. *Mense IV. Disc. 105. pag. 230. usque ad num. 7.*

3.

Perfecerunt omnia secundum legem Domini.
Luc. 2.

Non attentâ virginitatis suæ illibatâ integritate Maria purificari secundum legem voluit, ne vel in minimo declinaret; famæ suæ non curans dispendium, ut impleret legem Domini, quem intimè diligebat. Meritò igitur erubescere debemus alienissimi ab ipsius puritate, si mortalia solùm peccata fugere contenti, venialia ferè sine numero committere non formidamus, & per id tenuissimum in nobis amorem DEI esse ostendamus. *Mense IV. Disc. 105. pag. 237. usque ad finem.*

4.

Par turturum, aut duos pullos columbarum.
Luc. 2.

Semper DEO in amoribus simplicitas fuit. Ipse Christus dum iussit: *Estote prudentes, sicut serpentes; protinus addidit: Et simplices, sicut columbæ.* Et Spiritus Sanctus in ipsum baptizatum in specie columbæ descendit. Pro nullo infante æquiùs oblatus sunt columbarum pulli, quàm pro Christo, simplicitatis amatore & prædicatore. O nos beatos, si hanc nobis virtutem simplicitatis comparaverimus! hæc enim & DEO maximè placet, & homini pluri-

plurimum prodest. Mense VIII. Disc. 233.
pag. 326.

IN FESTO
S. MATHIÆ APOSTOLI.

1.
Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.
Matth. 11.

Quantopere vel umbram superbiæ & humani splendoris aversetur DEUS, satis ostendit in electione S. Mathiæ. In locum Judæ statuerunt Apostoli duos, viros verè sanctos: inprimis Josephum, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus: & Mathiam. Non illum tam nobilem, tam nominatum, ac celebrem, sed simplicem Mathiam in Apostolum elegit DEUS: *Cecidit fors super Mathiam.* Discamus ex hac electione verum odium omnis superbiæ, utpote quæ hominem simillimum diabolo, dissimillimum Christo facit. Mense V. Disc. 147. pag. 529.

2.
Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. *Matth. 11.*

Nihil abscondit DEUS illis, qui sapiunt secundum DEUM, & ad sobrietatem. Illis
ergo

ergo solum sapientibus abscondit DEUS mysteria sua, qui sibi solis sapere videntur, & ingenio suo confisi quidlibet efficere se posse arbitrantur. Verum *sapientia mundi stulticia est apud DEUM*. Falsa hæc prudentia existimat se bene agere, & videre multa, cum tamen cæca sit; videtur sibi ducere ad felicitatem, cum tamen trahat ad extremam miseriam. *Mense VIII. Disc. 232. pag. 311.*

3.
Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. Matth. 11.

Deridetur justis simplicitas, ut ait S. Gregorius *in Lect. 2. Noct. de Conf. non Pont.* Verum & ipsa duplicitas deridetur à DEO, quam nos falsitatem, astutiam aut versutiam, vel melius dolositatem appellamus. *Si sapiens fueris (secundum DEUM) tibi metipsum eris; si vero illusor, solus portabis malum.* Detestemur igitur hanc falsitatem, & amplectamur Christianam simplicitatem. *Mense VIII. Disc. 234. pag. 343.*

4.
Cecidit fors super Mathiam. Act. 1.

Vir admodum sanctus erat etiam Joseph Barfabas cognomento Justus, & in magna omnium existimatione. Verum permisit imprimis DEUS, ut cum illo eligendus per sortem statueretur Mathias, vir simplex, rectus, & humilis: disposuit deinde, ut fors caderet super
Ma-

Mathiam ; non quòd ille minùs humilis esset, sed ut ostenderet, ni fallor, ipsius etiam nominis humilitatem DEO præplacere, eúmque velle commendare omnibus hanc virtutem ; est enim DEO planè acceptissimã, quam ipse tot ornat laudibus, tot gratiis cumulat, ad tantos honores promovet. *Mense IX, Disc. 261. pag. 272.*

IN FESTO
S. JOSEPHI.

I.

Cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph. Matth. 1.

In tota S. Scriptura nullibi ita conjuncta occurrunt JESU, Mariæ, & Josephi nomina, sicut in hodierno. Castissimi & innocentissimi omnes omnium uno die occurrunt, & eo quidem die, quo Josephi quædam anxietas de graviditate virginis nunciatur, at eo ipso certior ejusdem castitas annunciatur. Proponitur hæc castitatis virtus omnibus imitanda, ut per tanta exempla allecti, non virgines solùm, sed & conjugati & vidui singulari in eam studio ferantur. *Mense VIII, Disc. 239. pag. 417.*

2.

2.

*Joseph autem vir eius cum esset justus,
Matth. 1.*

Non exprimit Evangelium, qua specie justitiæ excelluerit S. Joseph, sed absolutè justum nominat, qui putandus fuerat pater JESU, solis justitiæ. Non opus est examinare, num sicut operarius in commutativa, vel princeps aut judex in distributiva aut vindicativa justitia titulum justii meruerit. Satis, imo abunde est, implèsse omnem justitiam, & legibus nihil debuisse. Justitiæ hujus lege tenemur omnes, & amplecti eam debemus libenter, quia & DEO gratam scimus, & nobis fuisse necessariam olim sentiemus. *Mense IX. Disc. 267. pag. 378.*

3.

*Joseph autem vir eius cum esset justus,
Matth. 1.*

Justitiam in observando non hominis tantum, sed etiam patris munere explevit Joseph, dum Virginis Sponsæ curam habuit, circumcisioni subjecit, in templo præsentavit, ibidem amissum requisivit. Sicut porrò justitiæ dono excelluit gratiâ DEI singulari, ita dispositione divina æternum justii nomen in Evangelio.

vangelio accepit. Justitia hæc, cùm singulare sit donum DEI, ita ejusdem amissio maxime cavenda est, cùm afferat damnationem æternam. *Mense IX. Disc. 268. pag. 392.*

4.

Joseph autem vir ejus, Matth. 1.

Cujus vir vocatur Joseph? Matris DEI. Jam illum exultans in utero matris Joannes senserat, jam Zacharias solutâ linguâ annuntiaverat, jam Elisabeth benedictum fructum ventris virginei dixerat &c. Omnis hic honor redundabat in Josephum, qui pater credebatur. At nihil de mundano ejus honore legimus: solum ex scriptura novimus iter ejus Bethlehemiticum, oblationem in templo, fugam in Ægyptum, duodennis pueri anxiam requisitionem. Verùm honorem, quem à mundo non accepit, compensavit DEUS, eumque omnibus populis venerabilem ultima hac ætate fecit. Poterat verò sibi vindicare honorem, sed noluit. Possumus & nos non justè solum desiderare honorem, sed etiam cum merito, si modò cum Josepho nullam ejus partem nostris deberi meritis arbitremur. *Mense VI. Disc. 155. pag. 40.*

IN

I N F E S T O
A N N U N C I A T I O N I S
D E I P A R Æ.

I.

Gratia plena. Luc. 1.

Summus honor à DEO Mariæ collatus est, dum eam omni implevit gratia, ut fieret Mater DEI: Par igitur est, ut ipsam honoremus & nos exemplo DEI: verùm dum ipsa in exaltatione sua tam profundè se humiliavit, æquum est, ut & nos peccatores humilitatem ipsius Virginis exemplo amplectamur. *Mense XII, Disc. 363. pag. 492.*

2.

Ecce Ancilla Domini. Luc. 1.

Electa erat Maria in Matrem Dei; offerebatur dignitas, qua nulla poterat esse major inter omnes creaturas; ipsa tamen non efferebatur superbiâ, sed profundissimè se humiliabat. Hæc eximia humilitatis virtus ipsam ejus virginitatem quodammodo supergressa videtur; nam sic S. Bernardus: *Virginitate placuit, humilitate concepit.* Cur non & nos miseri virtutem tam pulchram amplectimur? hæc omnibus hominum conditionibus ornamento, imò & necessaria est, maximè miseris & pauperibus,

bus, cùm DEO abominabilis sit pauper super-
bus. *Mense IX. Disc. 262. pag. 287. ad num. 9.*

3.

Ecce Ancilla Domini. Luc. 1.

Quo major est personæ dignitas, eò admi-
rabilior humilitas: hæc Davidem pœnitentem,
hæc Manassen Regem veniam in vinculis pe-
tentem erexit, Deoque conciliavit: hæc ma-
ximè in Maria enituit. Ornat humilitas misè-
ros; verùm majori ornamento est potentibus,
divitibus, sapientibus. *Mense IX. Disc. 262.
pag. 298. à num. 9. ad finem.*

4.

Ecce Ancilla Domini. Luc. 1.

Quid, quæso, videbat Maria in se, ut tam
profundè se humiliaret? nõnne primùm salu-
tata erat gratia plena? nõnne designata Mater
DEI? nõnne omnis peccati expertem se nove-
rat? sed tamen se humiliat, quia se creaturam
noverat DEO subjectissimam: quia, quidquid
in se bonum videbat, totum gratiæ DEI tri-
buebat &c. Erubescamus nos miseri, & stu-
deat unusquisque cognoscere semetipsum;
nam cognitio sui Mater est humilitatis. *Men-
se IX. Disc. 259. pag. 237.*

IN FESTO
S. GEORGII MARTYRIS.

1.

*Sicut palmes non potest ferre fructum à se-
metipso, nisi manserit in vite; sic nec
vos, nisi in me manseritis. Jo-
ann. 15.*

Omnis sufficientia nostra, omnis fortitudo
& robur à Deo est. Nihil prodest ad veram
beatitudinem celeberrimorum Heroum fortitu-
do, Hannibalis, Alexandri, Miltiadis &c.
Inutilis est omnis fortitudo, quæ in corporis
viribus, virtute armorum, aut divitiarum re-
ponit robur suum. Cum S. Georgio discamus
in solo DEO confidere, ut vanam illam for-
titudinem discamus contemnere. *Mense IX.*
Disc. 245. pag. 1.

2.

Sine me nihil potestis facere. Joan. 15.

Equidem in templis S. Georgium equitan-
tem, galea, thorace, lanceâ armatum vide-
mus: verùm non in his ille armis fortitudinem
posuit, nec in robore corporis, aut animi ge-
nerositate, sed in divina gratia, sciens, sine
hac nihil se posse facere: atque ita confundit
eos, qui se fortes existimant agendo fortia.
Non enim, qui agit fortia, fortis est vocan-
dus,

us, si ea agat ex ignorantia, ex passione, cum offensa DEI. *Mense IX. Disc. 246. pag. 17.*

3.

Sine me nihil potestis facere. Joan. 15.

Magnanimus profectò fuit S. Georgius in defensione Ecclesiæ contra Tyrannidem (illam sub Virginis, hanc sub draconis imagine intelligimus) & in tolerantia gravissimorum cruciatum. Verùm nihil huc aut perparum contulerunt arma, vel corporis robur, sed sola gratia Dei, in qua collocans fiduciam suam securus occurrit hostibus: suaviter equitat, quem gratia Dei portat. Hæc sola nobis certam fiduciam & securitatem ad exercendam magnanimitatem præstat. *Mense IX. Disc. 257. pag. 211.*

4.

Si quis in me non manserit, mittetur foras. Joan. 15.

Quis est ille, qui non manet in Christo tanquam vite, nisi palmes, qui purgationem ferre non meretur, id est, qui cum Christo injurias & adversa patienter ferre recusat? Ut in Christo maneamus, servemus patientiam. Nam impatientia multis nos peccatis onerat, multis meritis spoliatur, bonis etiam temporalibus nocet. Quàm igitur melius est, imitari SS. Martyrum patientiam! *Mense VI. Disc. 167. pag. 244.*

IN FESTO
S. PHILIPPI & JACOBI
APOSTOLORUM.

1.

*Philippe, qui videt me, videt & patrem
meum. Joan. 14.*

Familiariter Christus cum Philippo agebat, quia primum ferè illum invitaverat, & obsequentem habuerat: ideò etiam eum interrogat: *Philippe, unde ememus panes?* Moverat Philippum persona Christi, ipsa facie, & sermonis suavitate convincens. Sequamur & nos Dominum, & ejus inspirationibus obsequamur, quia suavissimæ sunt, & licet aspera suadeant, ad cælestem in terris dulcedinem gustandam perducunt. *Mense X. Disc. 289. pag. 272. usque ad num. 6.*

2.

*In domo patris mei mansiones multe sunt.
Joann. 14.*

Quas non conditiones læti suscipiamus ad illas beatitudinis mansiones occupandas? Philippum, & cæteros discipulos hoc argumento ad sequendum se invitavit Christus: invitavit & nos, ut facilè, ut etiam cum fructu illum sequamur. *Mense X. Disc. 289. pag. 282. à num. 6. ad finem.*

3.

3.

Vado parare vobis locum. Joan. 14.

Quis adhuc trepidet? quis non firmissimè speret, tanta ipsius Veritatis promissione firmatus? Christus ipse, qui nec falli potest, nec fallere, omnibus se sequentibus locum in cælo se paraturum promittit. Verùm multa occurrunt, quæ spem nostram habetant ac perturbant. Discamus ergo, quid sit spes Theologica, eamque frequentius exercendo in nobis stabilire laboremus. *Mense VII. Disc. 198. pag. 308.*

4.

Vado parare vobis locum. Joan. 14.

Ubi paraturus erat locum, nisi in cælis? eò igitur omnis nostra spes dirigenda est. Plurimi sperant, sed malè, quia præter cælum alia sperant sibi inutilia; vel, si sperant etiam vera & æterna bona, dum ea sperant, malè agere non desistunt. *Mense VII. Disc. 201. pag. 369.*

O 3

IN

IN FESTO
INVENTIONIS S. CRUCIS.

1.

Exaltari oportet filium hominis. Joan. 3.

Gemina fuit Christi exaltatio: prima, dum humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Altera, dum exaltavit illum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen &c. Verum secundam hanc exaltationem meruit per illam primam, & exemplo suo nos docuit, ut nos illam quæramus ferendo crucem & nosmetipsos humiliando. Est ergo operæ pretium, ut ex cathedra crucis discamus, quid sit humilitas Christiana. *Mense IX. Disc. 258. pag. 222.*

2.

Hic venit ad Jesum nocte. Joan. 3.

Omnibus, qui Jesum ex amore & benevolentia visitarunt, largam ille benevolentiam exhibuit; præcipuè Nicodemo, licet hic non die, sed nocte venerit ex respectu humano. Ex hac Christi bonitate erga visitatores suos discamus sæpius eum visitare, ubi SS. Sacramentum, vel imago Christi, aut S. Crucis Reliquiæ asservantur. *Mense X. Disc. 291. pag. 308.*

3.

3.

Exaltari oportet filium hominis. Joan. 3.

Non aliter etiam nos exaltabimur, nisi per crucem, & tribulationem. Christus ipse præivit, & oportuit hæc Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Non sinamus nos per impatientiam ab illius imitatione revocari, sed potius adhibeamus media, quibus impatientiam superemus. Superabimus autem, si cogitationem nostram à præsentē calamitate avertamus; aut illam nobis prodesse cogitemus, aut certè, si non calamitatem, saltem calamitatis ipsam tolerantiam nobis utilem futuram.

Menſe VI. Diſc. 168. pag. 258.

4.

Exaltari oportet filium hominis. Joan. 3.

Prompto se quivis animo offert ad ferendam pro Domino crucem, quamcunque ille imposuerit. Verùm dum res seriò agitur, dum afflictio ab amico perfido vel acerbo inimico infertur, non credimus eam à Deo venire, sed indignamur illis, quos videmus; non cogitamus, jubente vel permittente Deo nobis inflatam. Firmemus igitur in nobis considerationem hanc, quidquid nobis adversi acciderit, non potuisse accidere, nisi Deus ipse voluisset.

Menſe IV. Diſc. 110. pag. 232.

O 4

IN

IN FESTO
S. VITI MARTYRIS.

1.

Domine , etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Luc. 10.

Inter cæteros primæ ac antiquæ Ecclesiæ Sanctos, qui magnam in obsessos à dæmone homines potestatem exercuere, celebrior est S. Vitus, cujus festo propterea proprium Evangelium est assignatum. Conciliemus nobis S. Viti patrociniū, ut securiores simus, cū jam aliunde rari sint, in quorum corpora jus habeat dæmon. Dignum est examinare, quare in populo electo Judæorum Deus permiserit tot esse obsessos, cū in electo populo Christianorum sint adeo pauci. Explicatur hoc pulcherimè *Mense X. Disc. 295. pag. 381. usque ad num. 5.*

2.

Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes. Luc. 10.

Antiquus serpens, invidiā tumens in humanum genus, agnoscit Christi & Christianorum potestatem contra insultus suos: scit, in hodiernum usque diem Sacerdotum exorcismis se cruciari & plerumque expelli. Interim tamen obessorum corpora horrendū vexat, & exorcizantibus contentiosissimè resistit. Dis-
quira-

quiramus hodie, cur Deus hoc permittat inimico nostro? fortasse, ut ardentius ad Sanctorum ejus, ac præcipuè S. Viti, suffragia fugiamus. *Mense X. Disc. 295. pag. 392. à num. 5.*

3.

In hoc nolite gaudere, quia spiritus subjiciuntur vobis. Luc. 10. v. 20.

Cur, quæso, non gauderent discipuli propter potentiam sibi à Christo ad expellendos dæmones datam? cur non gauderent de gloria in Christum hinc redundante? de confusione juratorum hostium? de restituta miseris libertate? Non hæc sibi arrogabant, sed magistro: *Etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Verumtamen Christus eos in hoc gaudere noluit, ut omnem vanæ gloriæ occasionem tolleret. Inexcusabiles igitur erunt in judicio: qui non de bono opere, sed etiam de gravissimis peccatis audent gaudere, & insuper gloriari. *Mense II. Disc. 38. pag. 102. ad num. 4.*

4.

In hoc nolite gaudere, Luc. 10. v. 20.

Ex charitate erga miseros adhibuerant exorcismos discipuli, & successu bono, ad gloriam Dei utique pertinente; & tamen in hoc gaudere prohibentur, ne propter elationem animi cum Lucifero instar fulguris de cælo caderent in infernum. Quid fiet de iis, qui glorientur in malitia, non virtute? Difficile con-

vertentur, difficillimè salvabuntur. *Mense II.*
Disc. 38. pag. 110. à num. 4. ad finem.

I N F E S T O
 S. BENNONIS EPISC. CONF.

I.

Euge serve bone & fidelis. Matth. 25.

Puto, servum bonum esse, qui Domini sui voluntatem explet obediendo; fidelem verò, qui pro Domino pugnat, jura illius defendendo. S. Benno à pueritia semper sub obedientia vixit *servus bonus*: factus verò Episcopus persecutiones gravissimas constanter sustinuit, quia Imperatori constanter restitit, ac imperterritus jura Ecclesiæ defendit *servus fidelis*. Pretiosa est constantiæ virtus, quæ nullo impedimento repulsari se patitur. Verùm hæc ipsa, sicut facillimè perditur, ita sollicitè nobis custodienda est. *Mense IX. Disc. 253. pag. 144.*

2.

Tradidit illis bona sua. Matth. 25.

Etsi Deus ubique præsens gubernet omnia, tamen ut servorum suorum gloriam augeat, & majestatem suam ac magnitudinem ipsa ministerii potestate demonstret, tradidit illis bona sua, commisit eorum vigilantia custodiendas provincias, conservandas in flore, defendendas in necessitate. Talis est S. Benno, cujus ad patrocinium fugere nos oportet, ubi
 maxi-

maximè annonæ caritas nos affligit. Immittitur hæc populis calamitas à divina justitia: quæramus ergo, qui pœnam mitigent, potentes patronos. *Mense IV. Disc. 116. pag. 450. ad num. 11.*

3.

Tradidit illis bona sua. Matth. 25.

Gaudent sancti cælites commissâ sibi tuendâ provinciam quamdam facultate, neque segniter officio suo funguntur. Damnabilis ergo est eorum hominum malitia, qui superis inopiam aut annonæ difficultatem aliâmvē calamitatem à nobis amovere laborantibus quasi manus injiciunt, & malum tam grave aggravant per turpem avaritiam, ac barbaram crudelitatem. *Mense IV. Disc. 116. pag. 463. à num. 11. ad finem.*

4.

Et profectus est statim. Matth. 25.

Quare additur, profectum esse dominum *statim*? Præviderat fortè, acceptis domini bonis diversos fore servorum sensus: & revera alii negotiabantur, alius male contentus uno talento abscondebat illud. Mirum non est, audire illum noluisse murmura, & abiisse statim. Utinam statim abirent omnes, ubi linguas vitiosas audiunt, maximè libidinosas ac impuras. His auditis ut abeamus statim, incitabimur considerando, quàm noxii & inexcusabiles sint sermones impuri. *Mense VIII. Disc. 243. pag. 485.*

IN

IN FESTO
NATIVITATIS S. JOANNIS
BAPTISTÆ.

1.

Quis putas puer iste erit? Luc. 1.

Visis prodigiis, quæ circa Nativitatem Joannis contigere, ut quod mater sterilis peperit, quod pater mutus linguæ usum receperit, idemque Joannis nomen filio indiderit, quærebant, quantus vir olim puer futurus esset. Quis erit? magnus nempe, qui Domini adventum, & generis humani redemptionem non solum annunciet, sed etiam prædicando promoveat. Imitari eum possumus cooperando ad proximi salutem, cujus rei exemplum perfectissimum habemus in Joanne. *Mense X. Disc. 288. pag. 257. usque ad num. 6.*

2.

*Etenim manus DOMINI erat cum illo,
Luc. 1.*

Joannes coram discipulis suis summam laudem Christo tribuit, & per hanc uberrimum fructum animarum retulit. Referemus & nos, cujuscunque conditionis simus, si zelosorum virorum prædicationes audiamus, ad eas audiendas alios excitemus. *Mense X. Disc. 288. pag. 265. à num. 6. ad fin.*

3.

3.

Fecit redemptionem plebis suae. Luc. 1.

Primus, qui palam de adventu Messiae prædicavit, Zacharias fuit, priusquam nasceretur Christus. Alter Joannes Baptista jam nato præparavit viam in eremo, prædicans baptismum pœnitentiæ. Purificanda enim & præparanda erant hominum corda, ut veniens cum Christo gratia mundum inveniret hospitium. Multum refert, quibus nos modis ad recipiendam peccatorum remissionem præparemus, ut inde uberrimos fructus reportemus. *Mense X. Disc. 285. pag. 202.*

4.

Quis putas puer iste erit? Luc. 1.

Jam tunc augurabantur magna quævis, & excelsa de Joanne, cujus nativitatem tot stipatam miraculis noverant. Multo autem mirabilior ipsa ejus pueritia fuit, quam in eremo ducere cœpit, & in summo vestium ac victûs rigore ad virilem usque ætatem produxit, meritis ob admirabilem istam temperantiam illud Christi elogium: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Conemur, quantum possumus, illum imitari, discamusque, quid sit vera temperantia, & quàm nobis sit necessaria. *Mense VIII. Disc. 236. pag. 374.*

IN

IN FESTO
SS. PETRI & PAULI APOST.

1.

Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, Matth. 16.

Omnibus per totum mundum hominibus, qui se Christianos profitentur, promulgatum est hoc Evangelium de Petro in fundamentum & caput visibile Ecclesiae constituto. Quid ergo obganniunt haeretici, qui sub capite isto vivere recusant? summa Ecclesiae Catholicae autoritas & gloria est, quod tam antiqua sit, & satis antiqua, quia à Christo instituta: verum est multo etiam antiquior; nam si moderni Judaei crederent, quod antiqui, omnes nobiscum Catholicis sentirent, sicut Patres eorum ante adventum Christi. *Mense VII. Disc. 194. pag. 217.*

2.

Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, Matth. 16.

Promptitudo illa, qua Petrus Jesum se vocantem relictis retibus statim secutus est, favorem Christi singulariter illi conciliavit: accessit Petri animositas, & imperterrita fides, qua Christo constantissimè adhærere statuit.
Hinc

Hinc illum petrae comparavit DOMINUS. Quam longè absunt ab hoc exemplo, qui vocem vocantis Dei non attendunt, vel auditam denuò obliviscuntur! hos olim ipse S. Petrus in iudicio accusabit. *Mense X. Disc. 290. pag. 290.*

3.

Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Matth. 10.

Sicut Christus summa sanctitate discipulos suos, & maximè Petrum imbuit, quem suum in terris Vicarium constituit, ita cunctis temporibus, utcunque ea essent scelerata ac perturbata, Ecclesiam suam in sanctitate ejusdem doctrinae conservavit, sempèrque illi viros sanctos dedit, quorum virtutibus illustraretur doctrina. Hæc ipsa doctrinae sanctitas signum est indubitatae veritatis. *Mense VII. Disc. 195. pag. 244. ad num. 13.*

4.

Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Matth. 16.

Utcunque infernus per emissas hæreses, ac immanes tyrannides minuere ac evertere Ecclesiam conatus est, nunquam tamen prævaluit: imò ipse multoties effusus sanguis Martyrum factus est semen Christianorum. Semper Ecclesia per summas difficultates magis est amplificata. Est hoc illustre divini favoris argumen-

gumentum, & Catholicæ Veritatis indicium.
Mense VII. Disc. 195. pag. 259. à num. 13. ad finem.

IN FESTO VISITATIONIS DEIPARÆ.

1.

Et salutavit Elisabeth, Luc. 1.

Mater Dei visitationis officium exhibet matri hominis: mater salvatoris matri præcursoris: superior inferiori. Exhibet magno multoque suo incommodo, & per tres fere menses in eodem obsequio perseverat. Discamus illius exemplo aliis præstare obsequia cum humilitate, Christiana charitate, & spirituali utilitate. *Mense XII. Disc. 364. pag. 512.*

2.

Et salutavit Elisabeth, Luc. 1.

Quid afferre nisi salutem potuit mater salvatoris? attulit salutem corporibus, dum Elisabetham suo refecit ministerio, infantem exultare fecit in utero: attulit & animis, dum matrem implevit prophetiæ spiritu, filium sanctitate, dum per fructum præsentem ventris sui eum originali peccato purgavit. Quid non erat actura Virgo ex charitate cognatæ? Peringat illius exemplo nostra erga proximum charitas, quousque potest. Fiet id, si didicerimus, quomodo spiritualia nostra bona præferre

ferre liceat spiritualibus bonis vel etiam temporalibus proximorum. Abundavit Maria, quia habuit cum Deo omnia: videamus, quousque nostra se possit egestas extendere. *Mense VIII. Disc. 217. pag. 52.*

3.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione. Luc. 1.

Magnum charitatis opus, visitare cognatam cum tanto labore molesti ac longinqui pro virgine itineris. Verum impulit Mariam desiderium laudabile, fructu ventris sui totam Zachariæ domum sanctificandi. O quam frigide nunc multi proximo suo bonum volunt, quo indiget! Conemur saltem intelligere, quale malum proximo nolle debeamus, ne nimium longinquè à charitate Virginis recedamus. *Mense VIII. Disc. 223. pag. 156.*

4.

Benedicta tu inter mulieres. Luc. 1.

Amplissimis verbis Evangelista explicat salutationem Elisabethæ versùs Mariam, ut abundantia charitatis, gaudii, & consolationis ex istius adventu, felicitate, dignitate copiosè appareat. Quam putas fuisse salutationem Mariæ versùs Elisabetham? non audet Evangelista exprimere, sed paucis expedit: *Salutavit Elisabeth.* Ita gaudere, ita gratulari mutuo sancti solent de donis divinis. Heu! quam

R. P. Calini, S. J. Index. p lon.

longè ab illis absunt, qui convitiis ac calumniis infano furore proscindunt proximum! Hi nimirum neque se, neque alios sanctificant, sed semetipfos multis peccatis onerant, magnis periculis se committunt, &, quod pessimum, dum carpunt alios, mores proprios nunquam emendant. *Mense VI. Disc. 171. pag. 315.*

IN FESTO
S. UDALRICI EPISCOPI
CONFESSORIS;

I.

Operatus est in eis. Matth. 25.

Talenta multa accepit à DEO S. Udalricus, splendorem generis, divitiarum copiam, honorum spem, indolem optimam, ingenium doctrinarum capacissimum, & in his talentis fidelissimè operatus est, honorem Dei & salutem proximi procurando. Operari oportet, non solum credere; major enim fide est charitas, qua si amamus Deum, diligere debemus & proximum: & hæc lucrosissima operandi ratio est. Discamus ergo, quid impellere ad amorem proximi nos debeat, ut certum inde meritum referamus. *Mense VIII. Disc. 225. pag. 191.*

2.

2.

Super multa te constituam. Matth. 25.

Pro fideli talentorum dispensatione, copiosisque animarum lucris super multa constituit Udalricum Dominus, data ei amplissima potestate, contra quaslibet ærumnas Diœcesin suam omnésque cultores defendendi. Perpetuum hodieque miraculum cernimus, dum ex tota Diœcesi nocivum glirium genus exulat. Eadem illi vis est contra quævis mala frugibus terræ infesta. Quodsi exundantes fluvii nihil illi vivo nocere potuerunt, ut in vita illius legitur, poterit in cælis regnans nos ab aquarum inundatione periculum aut nocumentum patientes liberare, si animo verè pio eum invocemus. De pœna inundationum agit author *Mense IV. Disc. 113. pag. 393.*

3.

Super multa te constituam. Matth. 25.

Quod de SS. MM. Joanne & Paulo canit Ecclesia: *Habent potestatem claudere cælum nubibus, & aperire portas ejus: quia linguæ eorum claves cæli factæ sunt;* idem de S. Udalrico cum veritate dicitur. Sicut enim illi concessum est, nimias fluminum exundationes compescere, ita etiam obstinatham siccitatem resolvere potest in pluvias. Certè sacræ illius vestes in civitate Augustana nunquam sine fructu prolatae sunt, sæpiusque salutarem imbrem provocârunt. Si

p 2

Deus

Deus peccatis nostris iratus clauferit cælum, pœnitentes nos & ad S. Udalricum fugientes pluuiam ejus meritis impetrabimus. De plaga siccitatis vide *Mense IV. Disc. 114. pag. 409.*

4.

Abiens fodit in terram. Matth. 25.

Ad cælum & beatam in illo æternitatem cùm vocati simus omnes, atque ad id obtinendum talentis necessariis instructi, negotiari debemus utique pro anima, quæ illuc vult evolare; non intenti esse soli corpori, quod usque ad resurrectionem abscondetur in terra. Quàm stultè igitur agit, qui neglectâ animæ suæ curâ per intemperantiam servit corpori! Discamus, quàm necessaria nobis sit gustûs temperantia. *Mense VIII. Disc. 238. pag. 403.*

IN FESTO

S. MARGARITÆ V. M.

I.

Simile est Regnum Cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Matth. 13.

Quod Salomon Prov. 31. de muliere conjugata dicit: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas; id ille de sedula temporalium cura faminam commendans dixit: at multò*

multò majori jure ea laus virgini tribuitur spiri-
rituales thesauros per virginitatis custodiam
congreganti. Talis merito pretiosæ margaritæ
comparatur, cujus amore Christus omnia sua
vendidit, ut gratam sibi sponsam pararet. O
quàm pulchra est casta generatio; Intelligamus
hodie illius pretium, & videamus exemplum.
Mense VIII. Disc. 240. pag. 436.

2.

Præ gaudio illius vadit. Matth. 13.

Magnarum hæc mentium indoles est, ut
gaudeant oblata sibi occasione obtinendæ veræ
gloriæ. Non erravit immortalem per tormen-
ta appetendo gloriam S. Margarita. At ne
præcipiti feramur affectu, attendendum est,
si verè magnanimi esse velimus, qualem appe-
tamus honorem, quibus operibus, & quæ sta-
tui nostro congruenter. *Mense IX. Disc. 256.
pag. 197.*

3.

Malos autem foras miserunt. Matth. 13.

Ingeniti sunt homini ignes quidam, alii
excitantes ad bonum, alii impellentes ad ma-
lum, & sunt passionibus seu affectionibus diversæ.
Utendum est affectionibus bonis ad virtutem,
malis autem semper resistendum, pugnandum-

p 3

que

que cum illis tanquam draconibus. Det Deus nobis gratiam vincendi, sicut S. Margarita draconem infernalem superavit. Maximè igitur attendamus, quanam passio in nobis dominari velit, atque ad eam eradicandam omne studium convertamus. Quod nisi fecerimus, eadem passio nos in peccata plurima & perniciosam consuetudinem præcipitabit. *Mense III. Disc. 82. pag. 451. ad num. 6.*

4.

Malos autem foras miserunt. Matth. 13.

Non cessandum est à pugna, donec S. Margaritæ exemplo draconem prosternamus, & prædominantem in nobis passionem foras ejiciamus. Si enim prævalente illa semel in peccatorum voraginem dejiciamur, sentiemus, difficillimè talia peccata posse emendari. *Mense III. Disc. 82. pag. 460. à num. 6. ad finem.*

IN FESTO S. MARIÆ de CARMELO.

I.

Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Luc. 11.

Vix quispiam est, qui non celeberrimæ Confraternitati sacri scapularis adscriptus sit, & se quotidiana quadam devotione Mariæ servum

vum

vum profiteatur. Verùm plurimi vivunt simul in peccatis mortalibus, atque ita per hanc devotionem nihil æternæ gloriæ per hanc devotionem promerentur. Si tamen tales sint, ut seriò emendare se cupiant, nec desperare, nec à tali oratione ac devotione cessare debent: talis enim devotio medium est à Deo homini inspiratum, quo ad conversionem suam pertingat. *Mense I. Disc. 30. pag. 497. usque ad num. 10.*

2.

Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Luc. 11.

Peccatorem, etiam longissimè à se remotum, Deus non abjicit, sed pedetentim ad seriam conversionem adducit, si ea oret intentione, ut obtineat veram pœnitentiam & in amore Dei perseverantiam. Confidenter igitur ejusmodi homo ad Deiparam, sanctosve Patronos suos constanter confugiat; facilius enim & conversionem suam impetrabit, & ferventior faciet suam pœnitentiam. *Mense I. Disc. 30. pag. 511. à num. 10. ad finem.*

3.

Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Luc. 11.

p 4

Moy-

Moyſes & Elias quadraginta dies continuos jejunârunt. Eorum exemplum ſecutus Chriſtus quadraginta dies & ipſe in deſerto jejunavit ad commendandam nobis abſtinentiam. Quòdſi grave nobis videtur ſpontaneum jejunium, cur non eccleſiaſtica ſaltem accuratè obſervamus? ad ea quodammodo præparamur & aſſueſimus abſtinentiâ carniſum, quam cum Confraternitate S. Scapularis ſuſcepimus, feriis quartis obſervandam. Plane jejunii præceptum tam corpori, quam animæ eſt utiliſſimum. *Menſe V. Diſc. 125. pag. 61.*

I N F E S T O S. MARIÆ MAGDALENÆ.

I.

Peccatrix eſt. Luc. 7.

Juſtiſſimè Chriſtus reprehendit Simonem, qui indignabatur Magdalenæ dicens: *Peccatrix eſt*, quaſi verò, qui ſemel peccâſſet, ſemper peccator maneret: indignabatur etiam Chriſto, qui à pœnitente tangi ſe patiebatur: *Hiſi eſſet Propheta &c.* Videbat Pharifæus lacrymas & pium obſequium; & tamen capiebat ſcandalum. Non debemus ſcandalum ſumere ex rebus indifferentibus, aut bonis & laudabilibus. *Menſe IV. Diſc. 100. pag. 131. uſque ad num. 8.*

2.

2.

Lacrymis cepit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat. Luc. 7.

Simonis superbia fecit, ut opus bonum, quod Magdalena Christo præstabat, male interpretaretur, non culpa Magdalena, cujus vel solæ lacrymæ poenitentem animam demonstrabant. Ipsam excusavit Christus: at non quemlibet nostrum excusabit, nisi certam adhibeamus cautelam, ne etiam per res laudabiles vel indifferentes alteri occasionem scandali præbeamus. *Mense IV. Disc. 100. pag. 141. à num. 8. ad finem.*

3.

Dimittuntur ei peccata multa. Luc. 7.

Cur peccata multa, cum tamen ne unicum quidem certum Magdalena peccatum in Evangelio proferatur? Peccatum unicum, cujus communiter arguitur Magdalena, fuit vanitas in vestitu & conversatione. Quomodo ergo *peccata multa*? per malum nempe exemplum, quo plurimorum animas in ruinam impulit vel saltem in periculum conjecit: hinc illæ lacrymæ, hinc illa tam ardens poenitentia. Discamus, quam grave sit scandalum, quod per malum exemplum datur. *Mense IV. Disc. 95. pag. 51.*

P 5

IN

IN FESTO
S. JACOBI MAJORIS.

I.

Dicunt ei: possumus. Matth. 20.

Sic amaverunt Christum Joannes & Jacobus, ut, si modò proximi ei semper adherere possent, nihil difficultatis refugiendum putarent. Interroganti, num possint bibere calicem passionis suæ, expeditè respondent: possumus. Hæc est Christianæ fortitudinis indoles, ut prompta sit ad suscipiendos quosvis labores, & tolerandos quosvis dolores. *Mense IX. Diss. 247. pag. 33.*

2.

Nescitis, quid petatis. Matth. 20.

Laudabilis fuit matris hujus petitio, non ex vana ambitione, sed pia in Christum fiducia procedens, maximè cum ejus filii etiam sanguinis cognatione Christum contingerent, ac præterea uterque summâ vitæ innocentiam polleret. Sed tamen ut intempestivum desiderium castigaret, & ex animis nostris omnem superbiendi appetitum tolleret, dixit: *Nescitis, quid petatis.* Verè enim nescit superbus, quid petat, dum excellere supra cæteros postulat. Superbia noxium omnino peccatum est, quia
radix

radix & caput omnium peccatorum. *Mense V.*
Disc. 151. pag. 600.

3.

Nescitis, quid petatis. Matth. 20.

Semper Christus superbiæ restitit: nunc quidem, dum immaturam Jacobi & Joannis petitionem redarguit: aliàs cum discipulos inter se contendentes, quis eorum videretur esse major, ad humilitatem traduxit: iterum cum dixit: qui se exaltat, humiliabitur; ac tandem, cum ipse discipulorum pedes lavit. Voluit verbis & exemplis docere, inexcusabilem esse superbiam, cum nihil profit, plurimum noceat, ac facillimè possit ab homine evitari. *Mense V. Disc. 152. pag. 618.*

4.

Dic ut sedeant. Matth. 20.

De quieta sessione cogitat mater: at Christus petitionem refellens non de quiete, sed labore loquitur ac passione: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Laboriosus ac patiens sit oportet, qui Christi se discipulum se profitetur. Quare longissimè abest à sequela Christi, qui otium amat. Detestemur accidiam, cujus nec radix bona est, nec fructus. *Mense VI. Disc. 161. pag. 149.*

IN

I.

*Inventa autem una pretiosa margarita ab-
iit, & vendidit omnia. Matth. 13.*

Non potuisset Anna majorem in terris invenire thesaurum præter filiam Mariam: quare non immeritò & ipsa & Joachimus terrenas despexere Divitias, seque totos divinos tradidère servitio, Deo, templo, pauperibus sua omnia relinquentes. Hæc illi fecerunt pro filia: quid nos oportet facere pro Deo? quàm stulti sunt, qui neglecto Deo divitiis sese immergunt, & pœne incurabiles se reddunt! Remedium horum curando morbo optimum est, considerare, quid post ipsorum mortem futurum sit de opibus, de corpore, de anima.
Mense V. Disc. 144. pag. 468.

2.

Non timebit domui suæ. Prov. 31.

Fortis illa mulier, quam in Proverbiis suis describit Salomon, meritò appellari potest sanctissima Mater Anna, quæ dum ab infantia Deum

Deum timuit, non modo nullis ab eo flagellis castigari meruit, sed uberrimam quoque benedictionem ab illo accepit, dum Deiparam peperit, potestatemque obtinuit avertendi divina flagella ab illis, qui se suaque ejus tutelae committunt: *Non timebit domui suae.* Præcipuum S. Annæ patrociniū sentiemus in depulsione fulminearum tempestatum, si tamen timere Deum voluerimus. Hic enim se in tempestatibus terribilem exhibet, iisque utitur ad incutiendum peccatoribus terrorem. *Mense IV. Disc. 115. pag. 425. ad num. 7.*

3.

Non timebit domui suae. Prov. 31.

Fulmina & grandines sunt armamentarium Dei, quo utitur non solum ad terrendum, sed & puniendum. S. Annæ exemplo discamus timorem Dei, ut ejusdem patrociniū effugiamus iram Dei. *Mense IV. Disc. 115. pag. 432. à num. 7. ad 14.*

4.

Non timebit domui suae. Prov. 31.

Misericors Deus ex mera nos bonitate terret per tempestates, ut animos aberrantes ad se revocet; licet enim in illis terribilem se ostendat, tamen semper in iisdem se etiam miseri-

fericordem exhibet. Hanc misericordiam ut nobis conciliemus, utilissima erit S. Annæ invocatio. *Mense IV. Disc. 115. pag. 440. à num. 14. ad finem.*

I N F E S T O S. A F R Æ M A R T.

1.

Præ gaudio illius vadit, & vendit universa. Matth. 13.

S. Afra ethnico prius Veneris cultui & fædo quæstui dedita, ubi primùm à S. Narcisso didicit thesaurum regni cælestis, & mercedem æternam laboris ac doloris nostri, voluptates opésque protinus contempsit, & cruciatibus flammæ generosè se tradidit. Hæc vis est spei Christianæ, ut peccatorem incitet ad conversionem, justum roboret ad perseverantiam, afflictum quemlibet confortet ad patientiam. *Mense VII. Disc. 204. pag. 422.*

2.

Præ gaudio illius vadit Matth. 13.

Postquam S. Afra fide Christi imbuta prioris vitæ culpas pœnitens agnovit, quævis aspera pro JESU pati parata fuit, atque ipsam vitam flammis tradere, ut regni cælestis thesaurum obtineret. Quàm multi agnoscunt, & deplorant etiam peccata sua, verùm pœnitentiæ

tentiæ opera refugiunt, metuentes, ne fanitati noceant! Erubescere pœnitendo metuere fanitati, dum Afra non metuit vitæ. *Mense III.*

Disc. 91. pag. 640. ad num. 7.

3.

Præ gaudio illius vadit. Matth. 13.

Plurimi, qui causas haberent perpetuo quodam luctu deplorandi & bonis operibus eluendi peccata sua, refugiunt vitam pœnitentialem, tanquam matrem tristitiæ ac melancholiæ. Hos confundit S. Afra, quæ à vita impia conversa ad fidem & pœnitentiam cum gaudio carceres, tormenta, & ignem sustinuit. Vera pœnitentia tristitiam excludit, affert lætitiã. *Mense III. Disc. 91. pag. 649. à num. 7. ad finem.*

IN FESTO
S. LAURENTII MARTYRIS.

I.

Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus. Joan. 12.

Servire Deo regnare est. Servivit Laurentius viva in Deum fide & charitate, invicta patientia, profusa in pauperes liberalitate: nulla erat actio illius, quæ non ad Dei obsequium dirigeretur. Nec possumus, nec volumus omnes hæc agere & pati, quæ Laurentius

tius

tius tulit, fecitque. At verò excusare se nemo potest, quin, si opera extraordinaria non possit, offerat saltem Deo opera sua ordinaria, etiam indifferentia, eaque ad servitium Dei transferat per bonam intentionem. *Mense I. Disc. 16. pag. 244.*

2.

Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Joan. 12.

Verè S. Laurentius tale granum fuit, mortificatum in craticula super arduos carbones & acerbissimos cruciatus. Quàm procul absumus ab illius patientia, & gloria! & tamen necessaria cuilibet Christiano est mortificatio, si anhelat ad gloriam. Non potes flagellis, ciliciis, jejuniis &c. te mortificare? At potes saltem quotidianis tuis actionibus, etiam indifferentibus, immiscere mortificationem quandam, & multos ad gloriam gradus facere. *Mense I. Disc. 17. pag. 255.*

3.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam eternam custodit eam. Joan. 12.

Non horruit ullum tormentorum genus S. Laurentius, imo in ipsis suppliciis triumphavit ac tyranno insultavit, quasi alius esset, qui ureretur, & alius, qui loqueretur. Unde illi tantus animus ad tolerandum? Considerabat ignem inferni multò graviorem, præsens

CONCIONATORIUS. 241

sens Dei auxilium, & mercedem æternam.
Hæc si & nos consideraverimus, fortiter ad-
versa quæque tolerabimus. *Mense IX. Disc.*
250. pag. 83.

4.
*Qui odit animam suam in hoc mundo, in
vitam æternam custodit eam. Joan. 12.*

Vigilans debet esse custos, nunquam re-
missus, semper sollicitus. Hæc sollicitudo S.
Laurentium vigilem fecit & attentum, ut in-
ter Tyranni minas ac supplicia constans perse-
veraret, nec amitteret propositam sibi coro-
nam. Inter primas curas nobis esse debet per-
severantia; hæc verò facile periclitatur, si
perseverandi difficultatem vel justo minus,
vel plus æquo attendamus: facilè item amit-
titur, si vel nimis indiscretas devotiones assu-
mamus, vel nimium nobis in suscipienda pœ-
nitentia parcamus. *Mense IX. Disc. 252.*
pag. 122.

IN FESTO
ASSUMPTIONIS DEIPARÆ.

i.
Dic ergo illi, ut me adjuvet. Luc. 10.

Dum Maria Angelorum ministerio in cæ-
lum evehitur, ipse illi Christus obviam pro-
cessit, Matremque suam summæ gloriæ diade-
mate coronavit. Congratulemur Dominæ no-

R. P. Calini, S. J. Index. q stræ

stræ tam glorificatæ. Verùm & nobis ipsis gaudeamus, quia in cælis habemus Advocatam tam potentem; dicamus Christo: glorificasti Matrem tuam, Domine, & constituisti eam super opera manuum tuarum: dic ergo illi ut nos adjuvet potenti suo patrocínio. *Mense XII. Disc. 365. pag. 529.*

2.

Maria optimam partem elegit. Luc. 10.

Quod Christus de Maria Magdalena dixit, hoc nos optimo jure de Maria Virgine dicemus: non hæc pietatem suam ac beatitudinis spem in humano auxilio ac proprio labore posuit, sed in contemplatione divinæ bonitatis, cujus auxilio agere se confitebatur, quidquid agebat. Vanissima spes est, quam in opera hominum ponimus: omnis fiducia in Deo collocanda est. *Mense VII. Disc. 199. pag. 329. ad num. 8.*

3.

Maria optimam partem elegit. Luc. 10.

Christus Martham reprehendit, quæ se omnia egisse rebatur, si in ministerio se industriè occuparet: neque illaudabile hoc fuit, sed optima voluntate profectum. Prætulit tamen Dominus Mariam. Multo igitur gravius errant illi, qui felicitatis suæ spem reponunt in propriis meritis, in divitiis, in artibus malis. *Mense VII. Disc. 199. pag. 339. à num. 8. ad finem.*

4.

4.

DOMINE, non est tibi cura, quòd
soror mea reliquit me solam ministra-
re? *Luc. 10.*

Nisi perspecta nobis esset Marthæ sancti-
tas, ac simplicitas, qua Mariam ad societatem
laboris voluit amandari, arbitrari quis posset,
eam invidisse Mariæ sorori, quòd hæc sola fru-
eretur alloquio Domini. Planè multi sunt,
quos talis æmulatio ac zelus exstimulat: ne-
que semper reprehensibilis est talis æmulatio.
Ut autem bona sit, considerari debet res, quæ
tali æmulatione appetitur: finis, propter quem
appetitur: media, quibus ad assequendum u-
taris. *Mense VI, Disc. 178. pag. 448.*

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOST.

1.

Virtus de illo exhibat, & sanabat omnes,
Luc. 6.

Totum se nobis Christus tradidit, qui pro-
pter nos & propter nostram salutem descendit
de cælis. Offert omnibus sanitatem corporis,
& maximè animæ tot vitiis sæpe ad mortem
& interitum laborantis. Agnovit hanc Chri-
sti in omnes liberalitatem ac beneficentiam S.

q 2

Bar-

Bartholomæus, ac in gratitudinis suæ tesseram pellem dedit. Quid nobis agendum? an non amor gratitudinis impellet nos ad respondendum Deo tam copiosè & suaviter nobis indig-
nissimis benefacienti? *Mense VII. Disc. 212. pag. 559.*

2.

Et turba discipulorum ejus. Luc. 6.

Meritò turbam dicit Evangelista, non fe-
natum aut concilium; non enim Apostolos
Dominum ex viris illustribus aut eruditis lege-
rat, sed piscatores plerosque aut publicanos.
De solo S. Bartholomæo apud *Pet. Sanchez de*
Reg. Dei legitur, quòd petierit à Christo facul-
tatem utendi priore vestitu, quem nobiliorem
attulerat, Christusque, obmurmurantibus re-
liquis, responderit: *Sinite illum hac veste incedere;*
veniet tempus, quo non hanc solùm, sed & ipsam pel-
lem pro meo nomine est positurus. Et illi quidem
vestium splendor fortioris martyrii augurium
fuit: plurimis autem vana vestium pompa ad
vitiolorum irritamentum & in ruinam cedit,
Mense V. Disc. 134. pag. 240. adnum. 5.

3.

Omnis turba quarebat eum tangere, quia
virtus de illo exibat. Luc. 6.

Et meritò contendebant, ut illum tange-
rent,

rent, quia erat Sanctus Sanctorum, nec poterat exire à Salvatore, nisi quod prodesset ad salutem: *Cum Sancto Sanctus eris.* Verùm & illud verissimum est: *Cum perverso perverteris.* Non igitur solùm societates manifestò malæ, sed quævis conventicula sunt fugienda, cùm inter multos non possint deesse mali, & facilius bonus à malo pervertatur, quàm malus à bono convertatur. Qui ergo libidinis irritamenta horret, aut fugere aut rarissimè cautissimèque adire debet aliorum societatem. *Mense V. Disc. 134. pag. 252. à num. 5. ad finem.*

4.

Erat pernoctans in oratione Dei. Luc. 6.

Sæpius ad vigilandum nos exhortatus est Christus, dum adventûs sui curam inculcavit, dum dormientibus hominibus superfeminata ab inimico zizania proposuit &c. Hanc doctrinam suo etiam exemplo stabilire voluit, dum in oratione pernoctavit. Non tamen idcirco omni somno nobis interdixit, sed torporem spiritûs damnavit, imò & abusum somni corporis, cùm intempestivè & immoderatè assumitur. *Mense VIII. Disc. 244. pag. 502.*

I N F E S T O
S. ANGELORUM CUSTODUM.

1.

Væ mundo à scandalis. Matth. 18.

Hæc Salvatoris comminatio maximè intentatur propter parvulos, utpote quorum seductio difficillimè emendabilis est. Non autem ætate tantum parvulos, verum etiam alios simplices & rudes intelligit, quorum omnium scandala evitare obligamur. *Mense IV. Disc. 101. pag. 150. usque ad num. 9.*

2.

Væ mundo à scandalis. Matth. 18.

Parvulorum hodie & simplicium defensionem à scandalis suscipit Christus, prævidens, quàm multi circa illorum scandalum incauti sint: & planè difficile videtur omnia præcavere. Verùm possumus & præcavere, ne demus; & data iterum emendare. *Mense IV. Disc. 101. pag. 161. à num. 9. ad finem.*

3.

Væ mundo à scandalis. Matth. 18.

Etiam si nos ipsos à dando aliis scandalo alienos inveniamus, cavere tamen pro nobis ipsis debemus, ne aliorum adulatione decipi nos patiamur; nam in gravissimam fraudem
induci-

inducimur. *Mense IV. Disc. 104. pag. 210.
usque ad num. 9.*

4.

Vae mundo à scandalis. Matth. 18.

Plurimi sunt, qui falsos amicos à veris discernere nesciunt, & eos sæpe optimos putant, qui consiliis suis non dissentiunt, sed omnia approbant vel laudant. Verùm si nos ab hujusmodi adulatoribus decipi patiamur, gravissima nobis damna accersemus. *Mense IV. Disc. 104. pag. 219. à num. 9. ad finem.*

IN FESTO
NATIVITATIS DEIPARÆ.

I.

De qua natus est JESUS. Matth. 1.

Quoties fere Messias in scripturis prædicatur, toties Matris ejus dignitas insinuatur. Sicut Maria ab æterno ordinata est ad maternitatem divinam, ita plurimis Prophetarum oraculis est prænunciata: omnium verò figurarum mysteria in Nativitate Deiparæ cæperunt evolvi ac manifestari, Honoremus ergo illam ut Matrem Dei: diligamus ut Matrem nostram. *Mense XII. Disc. 362. pag. 474.*

2.

De qua natus est JEsus. Matth. 1.

Salvator noster natus est ex Maria, qui ab æterno nos interitu liberavit. Quis non gaudet in nativitate tantæ Matris, quæ nobis authorem salutis peperit? *Ipsa nos Ecclesia exhortatur: cum jucunditate Nativitatem beatæ Mariæ celebremus.* Instituit Deus festos dies ad honorem suum, & quietem nostram: fruamur quiete, quam Deus indulsit, sic tamen, ut illi diligentissimè reddamus honorem, quem à nobis ad suam ac Matris gloriam exigit. *Mense II. Disc. 54. pag. 390.*

3.

In transmigracione Babylonis. Matth. 1.

Magna fuit Hebræorum calamitas, paucissimis relictis, in patria, cæteros omnes & maximè nobilissimos, inter quos etiam Christi Domini progenitores fuere, in alienam potestatem captivos abduci. Verùm hanc calamitatem pridem Deus peccantibus prædixerat, & propter peccata denique promissam intulit afflictionem, ut exhibitâ irâ suâ reduceret peccatores ad pœnitentiam. Retrahet Deus à nobis flagella sua, cùm per seriam conversionem iram illius mitigaverimus, idque maximè, cùm accesserit devotè à nobis petita Deiparæ intercessio. *Mense IV. Disc. 112. pag. 373. usque ad num. 8.*

4.

4.

In transmigratione Babylonis. Matth. 1.

Sicut flagellis gravissimis Deus afflixit Hebræos, peste, fame, siccitate, captivitate &c. ita nos affligere potest in pœnam peccatorum. Neque cessabit unquam nos flagellare, si non cessaverimus peccare. Maria nobis impetret veram conversionem, ut Deus auferat afflictionem. *Mense IV. Disc. 112. pag. 384. & num. 8. ad finem.*

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRUCIS.

I.

Oportet exaltari filium hominis. Joan. 12.

Colit hodie Ecclesia Sanctæ Crucis exaltationem, & per eam nobis inculcat exaltationem Christi per crucem, quam oportuit illum pati, & ita intrare in gloriam suam. Non alia nobis est ad cælum via, nisi per crucifixionem sensuum nostrorum ac omnium deliciarum: non decet sub spinoso capite membrum esse delicatum. Pessimè seipso fallunt, qui Christianos se profitentur & delicatè vivunt; vita enim deliciosa repugnat exemplo Christi, doctrinæ Christi, ac spei Christianæ. *Mense VIII. Disc. 241. pag. 468.*

Q 5

2.

2.

*Princeps mundi hujus ejicietur foras, Jo-
ann. 12.*

Dixit hæc verba Christus in solatium discipulorum, significans, omnem potestatem, quæ doctrinæ suæ ac discipulorum prædicationi esset obstatura, tandem interituram. Si jam Apostoli propter impiorum potentiam ac felicitatem Ecclesiæ nocivam contristati sunt, non peccaverunt, quia impeditam ac retardatam Fidei propagationem ægrè ex justissimo zelo ferebant. Ex hoc tamen exemplo non statim nobis, qui alia vivimus tempora, aliisque longè moribus utimur, eadem tristandi licentia est, dum homines malos esse felices videmus; sed potius refrænanda est talis tristitia, tanquam periculosa; nam 1. fortè felicitate indignum judicamus, qui dignus est: 2. fortè indignamur imprudenter & sine discretione. *Mense VI. Disc. 180. pag. 490. ad num. 8.*

3.

*Princeps mundi hujus ejicietur foras, Jo-
ann. 12.*

Diabolum à Christo in cruce superatum, extinctas tyrannides, oppressas hæreses Principum sæpe favore sustentatas, gaudii nobis justam materiam præbent, sicut justam tristandi materiam præbuit felicitas ac potentia tyrannorum. Justè & nos quandoque propter malo-

CONCIONATORIUS. 251

malorum hominum felicitatem triftari poffemus, fi hæc triftitia ex zelo bono femper proficifceretur. Verùm prudentiùs eam modera-
bimur, ne in animæ periculum conjiciamur; non enim femper ex puro, vero, bonoque ze-
lo malis indignamur, ideóque propterea à Deo puniri juftiffimè poffumus. *Menfe VI. Difc. 180. pag. 503. à num. 2. ad finem.*

4.

*Nunc judicium eft mundi, nunc princeps
hujus mundi ejicietur foras. Joan. 12.*

Cruz Christi, quæ aliquando apparebit in cælis, cùm Dominus ad judicandum venerit, virga erit judiciaria, ad terrorem maximè eorum, qui cùm judices hominum fuerint conftituti ad adminiftrandam juftitiam, poteftate fuâ contra juftitiam abutuntur ad aliorum exfpoliationem, & oppreffionem. *Menfe IX. Difc. 273. pag. 470.*

IN FESTO

S. MATTHÆI APOST. EVANG.

I.

Et furgens fecutus eft eum. Matth. 9.

Sunt homines, qui vel parentum exemplo,
vel

vel officii occasione in certa vitia aut vitiorum pericula delabuntur. Talis Matthæus fuit, qui fortè telonium velut hæreditarium à patre suo, vel ad vitæ sustentationem vel in præmium meritorum à Cæsare acceperat: per idem tamen vel in avaritiam vel certè in periculum iniquitatis fuerat devolutus. Quid autem causæ est, quòd tam promptè secutus sit vocantem Christum? Avaritia nempe non in opum possessione, neque in earum desiderio, sed in prava erga eas affectione consistit; atque hæc affectio, si jam radices in Matthæo egerat, non permessa est prædominari, sed ab illo fortiter superata. *Mense V. Disc. 138. pag. 339.*

2.

Misericordiam volo. Matth. 9.

Id sensit in se S. Matthæus, qui ad periculosissimum telonii officium sedens, ne in interitum rueret, clementissime à Domino ad Apostolatam vocatus est, factus ex peccatore prædicator fidei. Utinam, sicut ille vocantem Dominum è vestigio secutus est, ita prompti & nos à peccatis surgentes festinaremus ad poenitentiam! Facile nos prodigi filii flectemur ad revertendum, si præsentis statûs nostri miseriam consideraverimus, & magnam de misericordia cælestis Patris fiduciam conceperimus; nam & Christus ostendit, misereri se malle, quàm irasci: *Misericordiam volo. Non veni vocare justos,*

justos, sed peccatores. Omnibus ergo parallela hodierni Evangelii, & filii prodigi historia animum faciat ad seriam conversionem. *Mense III. Disc. 83. pag. 470. ad num. 9.*

3.

Misericordiam volo, & non sacrificium.
Matth. 9.

Deus Pater misericordiarum, & pater totius consolationis non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Unde & Ecclesia eum sic alloquitur: *Deus, qui potentiam tuam parcendo maxime & miserando manifestas.* Ad vocandos, quærendosque peccatores se venisse, Christus hodie & verbo & exemplo docet. Nec sibi solum, sed omnibus Angelis gaudium in cælo oriturum asserit super uno peccatore pœnitentiam agente. An invidemus Creatori & Redemptori nostro hoc gaudium? consideremus, quæso, lætitiâ patris revertente filio prodigo, & cum isto revertamur ad patrem. *Mense III. Disc. 83. pag. 483. à num. 9. ad finem.*

4.

Quare cum Publicanis & Peccatoribus manducat Magister vester? Matth. 9.

Quid ergo manducavit Christus? ipse respon-

spondit alibi : *Cibus meus est. ut faciam voluntatem patris*, nimirum ut reducam peccatores ad poenitentiam; sicut hodie dixit: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Reprehensione potius digni erant Pharisei, qui clam epulabantur, & in publicum exterminabant facies suas, ut viderentur hominibus jejunantes. Abominabilis Deo est hypocrisis. *Mense VI. Disc. 160. pag. 132.*

IN FESTO

S. MICHAELIS. ARCHANGELI.

I.

Vae mundo à scandalis. Matth. 18.

Non frustra Christus scandalizantibus gravissimè comminatur, quia, cùm scandalum deceptis animabus gravissimam ruinam inferat, scandalizans obligatur, pro injuria tam gravi proximo suo illata satisfactionem præstare, quæ difficillima est. *Mense IV. Disc. 94. pag. 34. usque ad num. 6.*

2.

Vae mundo à scandalis. Matth. 18.

Damnum, quod scandalizans infert animæ

mæ proximi, gravissimum est, quia Christus Judex, qui pro anima mortuus est, sanguinem suum requiret à scandalizante. Tenetur enim, qui scandalum dedit, damnum ex eo ortum reparare: & quàm hoc difficile est? *Mense IV. Disc. 94. pag. 42. à num. 6. ad finem.*

3.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est. Matth. 18.

Magnum est beneficium à Deo concessum hominibus, dum proprium cuique Angelum assignavit custodem: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Psalm. 90.* Et fanè nobilissimi isti spiritus non modò non dedignantur semper nobis esse præsentés, sed etiam tenerrimè nos diligunt. Veneremur igitur eorum sanctam præsentiam, colamus eos obsequiis propter effusam in nos benevolentiam. *Mense II. Disc. 57. pag. 439. ad num. 8.*

4.

Angeli eorum semper vident faciem Patris, Matth. 18.

Assignati custodiæ nostræ Angeli, tanquam fidelissimi amici, meritò colendi sunt, quia non tantùm, dum eos veneramur, adsunt nobis,

bis, sed etiam, dum in peccata labimur, non deserunt nos. Par est igitur, ut summam erga ipsos fiduciam concipiamus, eorumque operâ quantocyus à lapsu resurgere conemur. *Mense II. Disc. 57. pag. 455. à num. 8. ad finem.*

I N F E S T O S. R O S A R I I.

1.

Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti, Luc. 11.

Illi, qui aliqua quidem devotione in Deum, Deiparam, ac Sanctos feruntur, in sceleribus tamen vivunt, nec aliud quærunt, nisi ut in peccati statu non moriantur, illam à Christo, & Sanctis olim sententiam audient: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine Domine, intrabit in Regnum Cælorum: Neque omnis, qui Mariæ viscera & ubera beatificat &c. beatitudinem consequetur. Ejusmodi enim homo, quidquid orando facit, parùm facit. Ad feriam ergo emendationem convertenda oratio est.* *Mense I. Disc. 31. pag. 521. usque ad num. 5.*

2.

Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti, Luc. 11.

Mul-

Multi his mulieris hujus in turba exclamantis, multi Gabrielis & Elifabethæ Mariam salutantium verbis utuntur, orationesque diversas frequentant. Verùm, nisi seriò emendationem vitæ suæ desiderent, eoque per orationem contendant, nihil proficiunt, quia quod agunt, & malè agunt, & perversa intentione. Curemus igitur, ut orationes ac devotiones nostræ sint fructuosæ. *Mense I, Disc. 31. pag. 536. à num. 5. ad fin.*

3.

*Beatus, qui te portavit, & ubera, quæ
suxisti, Luc. 11.*

Duplici nos titulo beatificamus ubera Virginis Mariæ; primò quòd lactaverint nobis Redemptorem: deinde quia in nos etiam cor Mariæ misericordiâ & beneficiis redundat. Mariæ misericordia præ cæteris ejus virtutibus nobis dulcescit ac placet. Verè enim illa Mater misericordiæ est, & talem se nobis exhibet in necessitatibus nostris tam temporalibus, quàm spiritualibus. *Mense XII, Disc. 366. pag. 547.*

IN FESTO
SS. SIMONIS & JUDÆ APOST.

1.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

Joann. 15.

Cùm homo ex natura sua appetat societatem, amarique desideret, mirum est, eum sæpè tam acerbo aliorum odio posse occupari. Christus sciens hoc ex dæmonis invidia provenire, multoties expressis præceptis charitatem proximi inculcavit, & hoc præceptum per antonomasiam suum præceptum vocavit: *hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Ad hujus observantiam nos exemplo suo invitavit, præmio provocavit, comminatione pœnarum adstrinxit. *Mense VIII. Disc. 214. pag. 1.*

2.

Odio habuerunt me gratis. Joann. 15.

Habuerunt Judæi plurima, quæ in Christo diligenter, & mirarentur, vitæ innocentiam, in omnes charitatem, opera mira, nullum inter ea ad terrorem, sed omnia ad aliorum salutem. Et tamen oderant Dominum, planè gratis & sine causa. Adeoque *excusationem non habent de peccato suo.* Ita nullus iracundiæ deditus excusare suum peccatum potest; putat enim, irascendi causas se habere, cùm nullæ sint: putant, iram suam esse noxam naturæ, cùm

CONCIONATORIUS. 259

cùm sit voluntatis : putant , illam non posse corrigi , cùm sit facilè emendabilis. *Mense VI. Disc 165. pag. 217.*

3.

Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Joann. 15.

Quomodo Christianus iram suam & odia excusabit, cùm audiat expressum Christi præceptum: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem?* Videt præterea exemplum Christi, Judæorum calumnias, injurias, odia mansuetissima mente ferentis. Habet ad manum remedia paratissima, quibus hanc passionem valeat refrænare. Præcipua verò sunt frequens oratio, studium humilitatis, imitatio Christi. *Mense VI. Disc. 166. pag. 230.*

4.

Qui me odit, & patrem meum odit. Joann. 15.

Sicut Judæorum invidia erga Christum, redundavit etiam in æternum Patrem; ita qui proximo suo invidet, non hujus tantum fortunas ac felicitatem averfatur, sed etiam ipsius Dei honorem impugnat. *Mense VI. Disc. 182. pag. 540.*

r 2

IN

IN FESTO
SANCTORUM OMNIUM.

I.

Merces vestra copiosa est in caelis.
Matth. 5.

Duo sunt, quæ nobis justissimum præsentis vitæ tædium afferre possunt, vallis hæc lachrymarum plena doloribus, & societas hominum nobis adversantium. Verùm hæ difficultates vel ideò æquiore animo ferendæ sunt, quia perferentibus pro amore Christi merces amplissima promittitur in cælis. Ibi erit habitatio sine tædio, societas sine molestia. *Mense VII. Disc. 189. pag. 114. ad num. 9.*

2.

Merces vestra copiosa est in caelis.
Matth. 5.

Nulla in hoc mundo quies invenitur: homo natus est ad laborem, sicut avis ad volandum. Qui seipsum non occupat, ab aliis affligitur ac ad molestias ferendas compellitur. Semper aut pugnandum, aut laborandum est, atque utinam cum lucro æterno! Erigamus ergo mentem ad cælum, ubi pulcherrima occupatio sine labore ac difficultate, felicitas sine fine &c. *Mense VII. Disc. 189. pag. 129. à num. 9. ad finem.*

3.

3.

*Merces vestra copiosa est in calis,
Matth. 5.*

Qui mercedem hanc desiderat, ad eam promerendam laboret, seque illis reddere similem contendat, quos in hodierno Evangelio Christus beatos pronunciavit. Hoc si refugiat, frustra mercedem sperat. Qui enim virtutes ad obtinendum cælum requisitas exercere recusat, falsò dicit, se cælum desiderare. *Mense VII. Disc. 190. pag. 138. ad num. 5.*

4.

*Merces vestra copiosa est in calis,
Matth. 5.*

Venatorem præda, merx mercatorem, militem gloria ad quosvis ferendos labores extimulat; dulcis enim fit labor, quia dulcis est propositæ mercedis memoria. Cur nos pro cælo tam pauca ferimus? quia rarò mentem ad illius considerationem efferimus. Qui sæpe immensæ illius gloriæ recordatur, certè animabitur ad amplectendas virtutes illas, quas Christus à nobis exigit. *Mense VII. Disc. 190. pag. 148. à num. 5. ad finem.*

IN COMMEMORATIONE
FIDELIUM DEFUNCTORUM.

1.

Mortui audient vocem Filii DEI, Jo-
ann. 5.

Non in illo solùm extremi iudicii die, sed eodem momento, quo fuerint mortui, audient Christi sententiam de anima sua: abibit hæc protinus vel ad cælum, si in vita se à peccatis purgaverit; vel ad infernum, si impœnitens decesserit: vel ad purgatorium, ut residuos defectus expurget; quo in loco licèt certa sit beatitudinis spes, ejusdem tamen diuturna exspectatio accidit animæ dolorosissima, *Mense III. Disc. 67. pag. 125. usque ad num. 11.*

2.

Mortui audient vocem Filii DEI,
Joann. 5.

Auditâ Christi sententiâ animæ ad ignem purgatorium missæ sic patientur, ut semetipsas adjuvare nullo modo possint: excitet ergo nos ad succurrendum illis earum necessitas, & nostra utilitas. *Mense III. Disc. 67., pag. 141. à num. 11. ad finem.*

3.

3.

Qui audierint, vivent. Joan. 5.

Plurimum nostrâ interest, avidè audire & alacriter exequi vocem inspirantis Dei, præfertim cum nos à venialibus peccatis avocet: hanc audientes vivemus & perseverabimus in gratia, divinis solatiis fruemur, auxiliis adjuvabimur. Secus facientibus Deus tam auxilia, quàm solatia subtrahet, quod videmus in animabus, propter venialia patientibus. Ne ergo in easdem pœnas incidamus, consideremus damna venialium peccatorum, maxime subtractionem consolationum & specialium gratiarum. *Mense IV. Disc. 106. pag. 250. usque ad num. 12.*

4.

Audient vocem Filii Dei. Joan. 5.

Qui in gratia Dei decedunt è vivis, securi sunt beatitudinis suæ: at non statim omnes illam possidebunt, sed mundandi sunt à peccatorum reliquiis per ignem; quia nihil immundum vel coinquinatum introibit in regnum Dei. Hæc, licet temporanea tantum à regno Dei exclusio, pœna est acerbissima, ex cujus consideratione discas peccati venialis horrorem, & in animas misericordiam. *Mense IV. Disc. 106. pag. 265. à num. 12. usque ad finem.*

r 4

IN

I N F E S T O
S. MARTINI EPISC. CONF.

I.

Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Luc. II.

Accipimus omnes certa à Deo lumina, inspirationes, bonas cogitationes, & impulsus ad virtutem: at non semper iis obsequimur, impediente nos aliqua passione, vel absterrente nos difficultate. Ita sæpe, quod amore proprio facimus, putamus nos quandoque facere amore Dei, & fallimur: mortificationem refugimus, quia difficultatem horremus: facillimum verò est per usum rerum etiam indifferentium & quotidie sub manus venientium nos ipsos ad virtutem excitare & mentem in Deum elevare. *Mense I. Disc. 18. pag. 268.*

2.

Sicut lucerna fulgoris illuminabit te, Luc. II.

Dum sacrificium offerret S. Martinus, globus igneus apparuit super caput ejus, haud dubiè in signum ardentissimæ charitatis, qua flagrabat in Deum. Conemur nos illum imitari, & si non amore perfectissimo possumus, discamus saltem, quid sit amor Dei imperfectus. *Mense VII. Disc. 211. pag. 538. ad num. 8.*

3.

3.

Sicut lucerna fulgoris illuminabit te.
Luc. 11.

Cùm videamus Sanctos tam flagranti in Deum amore arsisse, ut quidam refrigerio indigerent, alii in altum tollerentur, alii mirificè illuminarentur, sicut S. Martinus; non jam contenti simus vulgari & imperfecto amore Deum prosequi, sed videamus, quomodo illum perfecto amore amplecti debeamus. *Mense VII. Disc. 211. pag. 547. à num. 8. ad finem.*

4.

Ut qui ingrediuntur, lumen videant.
Luc. 11.

Post immensos labores jam fractus ac decumbens S. Martinus, rogantibus discipulis, ne relinqueret eos, oravit: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Quàm mitem ac mansuetum fuisse hunc virum credamus? Utinam & nos tales essemus, ut quicumque ad nos ingreditur, lumen videat bonitatis nostræ ac mansuetudinis! Discamus, quid sit mansuetudinis virtus, & quibus ad eam exercendam causis impellamur. *Mense IX. Disc. 263. pag. 310.*

I 5

IN

IN FESTO
PRÆSENTATIONIS DEIPARÆ.

I.

Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, Luc. 11.

Videtur Christus his verbis majorem Matri suæ laudem dare, quod audierit verbum Dei, quam quòd fuerit Mater Dei. Profectò Maria vix trimula Spiritus Sancti instinctum secuta festinavit ad templum, in eoque imbuta verbo Dei sollicitè illud custodivit, relicto nobis saluberrimo documento, citò & maturè inchoandum esse virtutum christianorum exercitium, quia sic earum usus fit facilior, manet durabilior, evadit utilior. *Mense VII. Disc. 187. pag. 76.*

2.

Quinimmò beati, qui audiunt verbum Dei. Luc. 11.

Correxit Christus his verbis opinionem mulieris exclamantis, quæ Deiparæ beatitudinem reposuit in eo, quòd Christum peperisset. Hic verò defendit matrem suam, atque ita, ut non solâ Christi generatione, sed etiam auditione & custodiâ Divini verbi excellere nosceretur. Tanto justior fuit hæc defensio, quanto spiritualia præcedunt temporalibus. Vitiosè defenditur, ejus patrocinio justitia post-

posthabetur. Si ergo alterius defendendi officium suscipis, vide, quem defendas, quare defendas, & quos hæc defensio sit fructus prolatura. *Mense IX. Disc. 274. pag. 484.*

3.

Extollens vocem quædam mulier de turba,

Luc. II.

Attonita miraculorum magnitudine, inflammata doctrinarum sanctitate mulier hæc, oblita sexûs sui verecundiam, exclamavit in media turba & beatificavit Deiparam. Excusatione, inò & laude digna erat hæc exclamatio. Quomodo verò illi excusabuntur, qui extollunt vocem suam inter homines, ut aliorum sermonibus contradicant, & ferant jurgia? Ne in hoc vitium incidas, vide, quæ de causa contradicas, & quo modo? & quid ex contradictione tua oriturum existimes. *Mense VI. Disc. 170. pag. 292.*

4.

Extollens vocem quædam mulier de turba,

Luc. II.

Plena est S. Scriptura sententiis multiloquium damnantibus: *In multiloquio non deerit peccatum.* Prov. 10. v. 19. Vel in ipsis fæminis, quarum tamen arma in verbis sunt, turpe est loquacitatis vitium; multo turpius in viris; hoc enim nos hominibus odiosos, Deo invisos facit. *Mense VIII. Disc. 235. pag. 357.*

IN

I N D E X
I N F E S T O
S. CATHARINÆ V. M.

1.

*Prudentes verò acceperunt oleum in vasis
suis cum lampadibus, Matth. 25.*

Excelluit S. Catharina omni litterarum ac scientiarum apparatu ; at non propterea evanuit aut ad jactantiam abusa est ingenio suo , sed juxta prudentiam Christianam ad aliorum conversionem & fidei defensionem applicavit. Cupis cum prudente hac Virgine intromitti ad nuptias ? Disce, quàm excellens & necessaria Christiano sit virtus Prudentiæ. *Mense VIII. Disc. 229. pag. 266.*

2.

*Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.
Matth. 25.*

Desideratis & vos inter prudentes Virgines numerari ? si vultis, poteritis. Omnes omnino homines, ne parvulis quidem exceptis, invitat sapientia : *venite, emite absque argento.* Licet Prudentiæ virtus acquisitu difficilis videatur, nemo tamen tam rudis est aut hebes, qui eam sibi comparare non possit. *Mense VIII. Disc. 230. pag. 283.*

3.

*Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad
nuptias, Matth. 25.*

Ne nos cum virginibus fatuis ab æternis
Agni

Agni nuptiis excludamur, sed parati simus, videamus, quid nobis necessarium sit. Videbimus autem, si intelligamus, in quo consistat Prudentia ut virtus Christiana, & quodnam sit illius officium. *Mense VIII. Disc. 231. pag. 297.*

IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIAE.

1.

Hodie salus domui huic facta est. Luc. 19.

Anniversaria hodie recolitur dies, qua ante annos multos ad honorem Dei dedicata est haec Ecclesia, ut in ea à nobis honoretur Deus, invocentur Sancti, felicitatem impetrent vivi, mortui liberationem &c. Merito igitur loco tam sancto & ad salutem nostram tam commodo omnem exhibere reverentiam, excludere hinc omnem irreverentiam debemus. *Mense II. Disc. 55. pag. 404.*

2.

Hodie salus domui huic facta est. Luc. 19.

Postquam Zachæus vocem Domini audit: *Hodie in domo tua oportet me manere*, protinus cum festinatione descendit, & suscepit illum gaudens; atque ut visitationi tantæ se gratum exhiberet, apparavit convivium, ornavit domum, seipsum peccatis expurgavit, male accepta restituendo, superflua pauperibus dando. Visitat Ecclesias nostras Deus, & in eis
nobis-

nobiscum habitare dignatur: nōne par est, ut domum illius, quibus possumus, donis exornemus? at si nobis facultas deest, gaudere tamen debemus, dum alii opes suas ad ornandam Ecclesiam conferunt. *Mense II. Disc. 56. pag. 417. ad num. 6.*

3.

Excepit illum gaudens. Luc. 19.

Meritò gavissus est Zachæus, dum vidit, domum suam mox futuram domum Dei: propterea nullis sumptibus pepercit, ut placeret Deo hospiti, eumque sibi omni obsequio devinciret; noverat enim, ab illo se peccatorum remissionem, & adoptionem inter filios Abrahæ ac electos percepturum. An igitur nos pigere debet operæ nostræ aut facultatis ad ornatum ac splendorem templi conferendæ? Nisi à publicano olim confundi velimus, ipsi quoque manum & opes ad templorum decorem conferamus: *Domine dilexi decorem domûs tuæ. Mense II. Disc. 56. pag. 429. à n. 6. ad fin.*

4.

Hodie salus domui huic facta est. Luc. 19.

Unde salus? quia in domum Zachæi veniente filio æterno Dei Zachæus factus est filius adoptivus Dei. Hæc est felicitas domûs, in qua habitat Deus. Discamus revereri & amare templa, considerantes, quanto in honore Christus habuerit templum Jerosolymitanum: quantum honorem tribuerit Ecclesiis Christianis: quantum irascatur templa hæc non honorantibus. *Mense X. Disc. 305. pag. 564.*

5.

5.

Hodie in domo tua oportet me manere. Luc. 19.

Suscepto in Domū suam Domino statim evacua-
re peccatis ac iniustitiis suis animum suū Zachæ-
us cepit, ne Jesum denuo expelleret, qui mane-
re cupiebat. Sobrium ergo etiam, & modestum
convivium fuit, quod Christo parabat. Erubef-
cant Christiani, qui sæpius in fumis solemnitati-
bus & maximè Dedicacionibus expellunt Chri-
stum per ebrietatem. Detestemur istud vitium,
quod rationem aufert, peccatis animum onerat,
in pericula multa præcipitat. *Mense V. Disc. 128.*
pag. 102.

IN CALAMITATIBUS PUBLICIS.

Mense IV. agitur de calamitatibus in genere
Discursu 110. 111. 112. 121. In specie de Inunda-
tionibus Discursu 113. de Siccitate 114. de Tem-
pestate fulminis & grandinis. 115. de Añonæ ca-
ritate. 116. de Bello & prædationibus 117. &
118. de Terræmotu 119. de Peste. 120.

IN QUADRAGESIMA.

Ad continuandas eadem de materia Concio-
nes materiam subministrat Mensis III. de Pœni-
tentia & Confessione Discursu 83. 84. & reliquis.
De quatuor novissimis agit Mensis III. & quidem
de Morte Discursu 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. de
Judicio 71. 73. 74. de Inferno 79. 80. 81. de cæ-
lo. 72. De Peccati gravitate, occasione, tenta-
tione, consuetudine, emendatione agit Mensis I.
Discursu 19. 20. & reliquis. De Peccato veniali
tractat Mensis V. Discursu 105. 106. 107. 108. 109.

De

De scandalo seu peccatis alienis agit Mensis IV. Discursu 92. 93. &c. De Passionis Dominicæ mysteriis discurret totus Mensis XI. & XII.

IN FEST. APOST. & EVANG.

De virtutibus Theologicis, & primùm de Fide Mensis VII. Disc. 194. 195. 196. 197. de Spe 198. 199. & seqq. de Amore Dei 210. 211. &c. de Amore proximi Mensis VIII. Disc. 214. & seqq. vide etiam in hoc Indice Festa Apostolorum.

IN FESTIS MARTYRUM.

De Fortitudine, Constantia, Magnanimitate Mensis IX. Disc. 245. & seqq. vide etiam in hoc Indice Festa SS. Sebastiani, Georgii, Viti, Laurentii.

IN FESTIS PONTIFICUM.

De Charitate Dei & proximi, ut supra de Apostolis. Præterea de Festis SS. Nicolai, Bennonis, Udalrici, Martini.

IN FESTIS CONFESSORUM.

De Humilitate Mensis IX. Disc. 258. & seqq. Item de Temperantia Mensis VIII. Disc. 238. &c. de Obedientia Mensis IX. Disc. 264. de Justitia 267. vide Festa SS. Silvestri, & Josephi.

IN FEST. VIRG. & VID.

De Prudentia Mensis VIII. Disc. 229. & seqq. de Misericordia 226. de Castitate 239. Vide etiam etiam Festa SS. Margaritæ, Catharinæ, Annæ, Magdalenæ, Afræ.

INDEX